









1665

18. Dobermanus, Joh: De re publica in genere
19. Falckner, Joh. Christoph: De contracta emptio-
venditionis. Pa. nov. 1754
20. Falckner, Joh. Christoph: De traditione per con-
stitutum.
21. Falckner, Joh. Christoph: Flores thematici
sacri.
22. Müllerus, Philippus: De summi Imperii subjecto.
23. Richter, Christophorus Philippus: Programma, quo
... iurata et ... lectionem Georg. Johannis
Georgii Krulla.
24. Richter, Christophorus Philippus: De cautione
auctoris.
25. Richter, Christophorus Philippus: De universitate,
ejus denique variis speciebus et partibus.
26. Richter, Christophorus Philippus: De significatione
adverbiorum.

1660

27. Richter, Christophorus Philippus : De defensione
extraordinariâ . . .
28. Roeser, Theophilus : De testamentis .
29. Schroeter, Ernestus Fredericus : De cautione neces-
saria
30. Schroeter, Ernestus Fredericus : De comestratione .
31. Schroeter, Ernestus Fredericus : De privilegiis mi-
litum .
32. Schroeterus, Ernestus Fredericus : De maleficiis
33. Schroeter, Ernestus Fredericus : De protoprotaxia .
34. Schroeter, Ernestus Fredericus : De seniore .
2 Exempl.
35. Schroeter, Ernestus Fredericus : De sublimi jure
territorium .
- 36^{a et b} Schroeter, Ernestus Fredericus : Forum competentis
2 Exempl.

1682

37. Schroeter, Inventus Fidericus: De jure consuetudinario
38. Schroeter, Inventus Fidericus: De chirographo.
39. Schroeter, Inventus Fidericus: De reputatione
- 40^{tes}. Struve, Georg Adam: De officio judicis.
2 Bände
41. Struve, Georgius Adam: De natura privilegii quae
dotium.
42. Struve, Georgius Adam: De contractu quosdam Terminato,
quos concernit Salinarum Hallesium diti-
tus.
43. Struvius, Georgius Adam: De rapto.
44. Windheim, Petrus Harbordus, a: De bancis.

12



DISCURSUS FEUDALIS
De
SENIORE, ²¹
Quem

DIVINO ADSPIRANTE NUMINE,
Ex Decreto atque Autoritate Magnifici JCtorum Se-
natûs in illustri SALANA,
PRÆSIDE
VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq; Excel-
lentissimo,*
DN. ERNESTO FRIDERICO
**Schröter / Hæreditario in Wifkerstädt / JCto & Ante-
cessore hujus Academiae famigeratissimo, Consiliario Saxoni-
co Gravissimo, Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Ju-
ridicae Assessore eminentissimo,**
Dn. Præceptore ac Promotore jugi honoris & obser-
vantia cultu demissè maectando

Publicè ventilandum proponit
JOHANN-GEORGIUS Lange /
Altenburgô - Misnicus,
AUTOR.

In publico JCtorum Brabevterio
ad d. Jul.

Literis JOHANNIS VVERTHERI,
AN. M DC LXV.

Ernest Schröter de Seniore.

*21
56
Nob 5, 34
20*





V I R O

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO


**DN. CHRISTOPHORO PHI-
LIPPO RICHTERO**, JCro & Decretalium PP,
famigeratissimo, Comit. Palat. Caesar. Consiliario Saxonico
eminentissimo, Facultatis Jurid. Ordinario, Dicasterii
Provincialis & Scabinatus Assessori Prima-
rio, gravissimo.

Dn. Patrono, ac studiorum meorum Promotori
plurimum æstimato, sanctèq; semper devenerando

*Hæc Juris Feudalis libamenta ponit & tanquam
tutelari Numini Letus-lubens consecrat*

illustri Ejusdem Nomini
solidè devotus

JOH. G. Lange.



S Alanæ, *RICHTERE*, decus totius & Orbis
Quem stupet Eusebie, Pieris atque Dîce:
Hoc schediasma Tibi submissâ dedico mente
Subjicio has pedibus lineolasque Tuis.
Suscipe grati animi signum Patrone benigne,
Mente favente; (aliud nam dare jam nequeo.)
Et quô me semper complexus es ipse favore,
Hunc portò serva! Sic bene salvus ero!
Jova Tibi in tremulâ Clemens Tua membra Senectâ
Fulciat & servet corpus & ingenium.
Consiliis salvæ ut persistat Republicæ, alumni
Musarum, tota & Patria nostra Tuis!

❁(o)❁



PRÆFAMEN.



Uamquàm Juris F. doctrina copiosa pariter ac magnificà commendatione jure meritoque est suspicienda, nolo tamen laudem ejus præstantiæ rædiosà jam impensiorum verborum prolixitate amplificandam ingratae præfationi committere: cum aliàs Autores limatissimi ipsius dignitatis adorem splendide dilaudando extollentes in ore ac celebritate orbis literationis versentur. Neminem insuper vel superficiarià saltem & umbratili quadamtenùs Juris scientià incrustatum ejusdem doctrinæ dignitati & splendori vel quòcumque subschemate detractum ire posse confido; præsertim cum feuda Romani Imperii fulcra audiant, in quibus vires, nervos & robora tam rogatæ, quàm armatæ militiæ (uti cum magna magnorum Juris Sacerdotum natione testatur *Borcholt. in præfat. feud.*) sita esse animadvertuntur: Unde quoque ea in se continent materiam frequentissimam, juxta ac omnibus in foro versantibus utilissimam & fructuosissimam; cujus equidem utilitas suspensà he-

derâ atque prolixiore commendatione nihil indi-
get, quidpè quùm ipsamet sese ostendat, quemad-
modum Ulpianus Restitutionum materiam mira-
tur *in l. 1. ff. de in integr. rest.* Hujus proinde insignis
materiæ amore incensus, insequentem, quæ
meo præ aliis arrisit palato, materiam Senio-
ris nimirùm jura exhibentem selegi, quam non
quidem pro ipsius dignitate; sed pro viribus inge-
nii mei adumbrabo. Antequàm autem me ad te-
lam, quam mihi sumpsi, pertexendam accingam,
DEUM, qui principium, medium atque terminus
est *Nov. CIX.* caldis votis devotus accerso, dignetur
laborem hunc mihi propositum largifluæ benedi-
ctionis rore conspergere atq; Divinæ suæ gratiæ
jubare illustrare. Sic universa benè geruntur &
competenter, si modò principium fiat decens & a-
mabile **DEO** *Nov. quomodo oporteat 6. in fin. pref.* Te
idpropter, **DEUS** clementissime, largitore felicio-
rem catastrophem desiderium meum ad votum ex
fato singulari coronaturam maneo!

§. I.

Cœpti nunc velis passis, ad ea, quæ privatâ indu-
striâ pro ingenii modulo delineata sunt, **SENIORIS**
jura pedem protollimus, discursum de iis-
dem communicandum suscepturi. Plurivaria
quidem, quæ Senior, vel quocùnque in dignitatis gradu
atque fastigio constitutus, elargiente quasi singulari quâ-
dam juris dispositione, ex feudo consequitur, jura depre-
hen.

henduntur. Ea autem singula persequi, paginarum forsitan angustia & temporis ratio disuadebit. Hinc saltem ista, quæ primas tenent, quæque Senioris utilitatem & ipsius cum primis dignitatis amplificationem honoris ac reverentiæ accessione cumulandam concernunt, ad disputandum adaptabimus.

§. 2. Nunquam autem de aliqua re dextrè potest judicari, nisi prius animadvertatur & liqueat, quænam & qualis sit, *arg. l. 13. §. 3. de reb. dub.* Paucis ideò explicandum duco: Vocabulum SENIOR h. l. ipsum Dominum feudi denotare, prout apparet *ex tit. 17. 18. F. 1. & t. 52. vs. per multas.* Quæ denominatio secundum eandem formam nominationis, quâ Senatores & Presbyteri insigniuntur; habitâ nimirum honoris potiùs & morum quàm ætatis ratione, attributa creditur. Quemadmodum & ipse Dominus nec tam propter dominium & proprietatem, quam in feudo retinet, quàm ob reverentiam ipsi debitam more Veterum ita salutari amavit *arg. l. 57. ff. de donat. inter vir. & ux. & l. 26. ff. de constit. pecun.* Insuper tamen non videtur esse respuenda opinio Vulteji, quando *l. F. 3. in fin.* autumat vocem illam *Senior* in doctrina feudali esse ex vocabulo Longobardico *Signor* vel *Seignor* commutato in formam vocis latinæ.

§. 3. In ipso nunc statim limine fidelitas Clientelaris perponderanda occurrit, quæ, ut in feudo constituendo Seniori seu Domino exhibenda interveniat, necessariò requiritur; est scilicet ea omnium unò votò feudi constituendi finis primarius *2. F. 24. & 33.* feudique jam constituti ipsissima forma & essentia *2. F. 3. §. 1. in fin. 2. F. 23. in fin. ibi: ut fideliter domino serviant 2. F. 52. §. satis. Zas. in tract. feud. part. 1. n. 2. Schrad. p. 2. c. 2. n. 25.* In fidelitate præterea præcipuum jus, quod ex feudo compe-

rit Seniori, consistere communiter adprobatur: Hinc is, qui fidelitatem facere recusat, investituram, sine qua feudum minus constituitur *l. F. 25. Schneiderv. de feud. p. 4. n. 1. Gothofred. Anton. Disp. feud. 4. th. 1. lit. B. Dn. Carpz. p. 3. Const. Elect. 30. defn. 12. n. 2.* accipere minimè potest *c. un. sub fin. vers. nulla autem 2. F. 3.*

§. 4. Fidelitatem autem in usibus feudorum dupliciter accipi manifestum est; Et quidem 1. pro ipsa fide ac tutela feudali, quâ ultro citroque Dominus Vasallo patrocinii, & rursus Vasallus Domino servitii tenetur, ac ob quam & feudum datur, & sine qua feudi contractus haud subsistit, nam feudum est, ubi obligatio ad fidem præstadam enixè contracta est, & principaliter id agitur, quò Vasallus Seniori evadat fidelis, *Das der Lehmann dem Lehn-Herrn treu/gehorsam/gewärtig und hold sey c. 1. §. nulla. Per quos fiat investitura. 2. F. 3. Vultei. 1. F. 6. n. 3.* unde etiam Vasallus καλ' ἐξοχὴν fidelis appellari solet, *l. F. 4. & c. un. de cont. inter dom. & fidel. 1. F. 10. 2. F. 6. §. dominus & alibi passim.* Et ita vulgò per Dominos Vasallos salutari consuevit: *Unsern lieben Getreuen. Rosenth. in Synops. Jur. feud. concl. 6. n. 6. in not. lit. 1. Schneidervin. de feud. p. 1. n. 20. sub fin.* Et feudum (vel foedum) à fidelitate seu fide denominationem recipit *d. §. nulla. 2. F. 3.* Quamvis quidem alii aliunde feudum derivent, nos tamen rectiùs ipsi textui inhærendum ducimus; cùm Longobardis quoque, quibus antiquissima feudorum origo accepta fertur, fides *fode* sive *fede* nominetur *Schrad. de feud. p. 2. c. 1. concl. 6. n. 3.* Exinde in antiquissimis investituris *Fædum* non *Feudum* scriptum reperiri attestatur *Vvesenb. de feud. c. 1. in pr. confer. Magnificus atq; Nobilissimus Dn. Struvius 3tus & Antecessor in hac Salana celebratissimus, Consiliarius Saxonicus eminentissimus,*

Cu.

Curia Provincialis, ut & Scabinatus Adfessor meritisimus,
Facultatis Juridica Senior, Patronus atque Praceptor meus
omni observantia cultione devenerandus in Syntagm. Jur.
feud. cap. 2. aph. 1. n. 3. Hæc itaque fidelitas sive fides ad-
eò ingreditur feudi substantiam, ut nec pactò vel placi-
tò contrahentium remitti possit *Finkelth. Diss. feud. 1.*
controv. 1. lit. A. Et quamvis ejusmodi pactum de fide
non exhibenda tempore investituræ intervenerit; nihil-
ominus tamen ipse actus s. contractus feudalis subsistit,
& pactum istud pro non adjecto habetur, meritòque tan-
quam nullum rejicitur *arg. l. 12. ff. de precar. l. 6. C. de*
pact. Schrader. p. 2. c. 2. n. 36. Cujac. prætereà in præfat. feud.
etiam infit, quod non valeat pactum ne fides debeatur,
sed benè ne fidelitas juretur.

§. 5. Hinc 2. fidelitatem pro ipso juramento, (*Lehns-
pflicht*) sumi videmus; Et quidem per metonymiam ad-
juncti pro subjecto, contentò sumtò pro continente,
quia fidelitas illa est in juramento, adeoque contentum
est, & juramentum fidelitatis clientelatis illam fidelita-
tem clientelarem continet, ut rectè statuit *Rosenthal. d.*
feud. concl. 85. n. 3. Vel per metonymiam subjecti occu-
pantis pro adjuncto occupato, utpote dum Vasallus ju-
rat, fidem intuetur, & ad fidem Domino seu Seniori
præstandam se sanctè obligat, quod insuper liquidò con-
stat *ex tit. 24. §. 1. ubi vox: fidelitas:* denotat juramen-
tum fidelitatis: uti & textus docet *in 2. F. 4. Vultej. 1. F. 6.*
n. 3. Hujus juramenti formula proposita relucescit *ex*
tit. 7. F. 2. quam nec adhuc desuetudine inumbratam ef-
se deprehendit *Nobilissimus Dn Struve cap. 8. aph. 6. n. 2.*
& *ibi alleg. Dd.* Juramentò autem secundum hanc for-
mulam præstitò, plerumque investituræ literis clausula
apponi solet: **Darvor Er unser getreuer Lehmann seyn
soll**

soll/ wie er uns mit Treuen gelobet/ die Lehnpflicht ge-
than und zu Gott geschworen hat etc. Hanc nunc fide-
litem juratoriam semper præstari convenit, quando
eam Senior requirit; ex ejusdem enim præstatione præ-
primis præsumitur rem esse feudalem, dominiumque
directum pertinere ad eum, cui præstatur *Magnificus, No-
bilissimus atque Consultissimus Dn. Richter. Com. Palat.
Cesar. eminentissimus, & Ctus & Decretal. Prof. Publ. fami-
geratissimus, Juridicae Facultatis Ordinarius, Consiliarius
Saxon. meritisissimus, Dicaster. Provinc. & Scabinat. Asses-
sor primarius, Præceptor atq; Patronus meus summâ obser-
vantiam jugiter colendus in suis Juris Decisionibus p. 1. decis.
68. n. 36.* Interim tamen conventionem & pactum eam re-
mitti posse, negari minus potest, quia fidelitatis juriuran-
dum non ad essentialia, sed naturalia feudi pertinet; na-
turalia autem salvâ feudi essentiâ ab eo abesse, & pactis
inter dominum & vasallum initis immutari omnino
possunt 2. F. 2. §. præterea 2. F. 3. in fin. confer. l. 5. §. 4. de
presc. verb. ibi: *poteest mandatum ex pacto etiam naturam
suam excedere.* Huc accedit: quod civili saltem ratione
id adhibeatur, quò Vasallus, sc. vi præstiti juramenti ad
fidem exhibendam firmiter devinctus habeatur *Finkelth.
Disp. 1. contr. 1.* Eò autem casu, quò conventio, quæ Va-
sallum à juramenti præstatione immunem reddit, facta
fuit, ipse nihilominus ad omnia ea, quæ in fidelitatis ju-
ramento continentur, non secus, ac si solenniter jura-
torie fidelitati se submisisset, obligatus est *arg. c. verita-
tis 14. de jurejur. Schrader. p. 6. c. 4. n. 14.* unde etiam ex
iisdem causis, ex quibus alias Vasallus juratus feloniam
committit, feudi amissione multandus censetur *Rosen-
thal. c. 2. concl. 60.* Juramenti siquidem præstatio (scribit
Georg. Schulz. in Syn. Jur. Feud. c. 3. n. 21.) nihil cum ser-
vitiis

vitiis & aliis actibus commune habet, cum hosce etiam absque juramento fidelitatis fidelis Vasallus exequi possit. Et *inc. 9. n. 30. idem Schulz.* adserit, quod ita demum pro necessario consequenti investituræ juramentum istud reputetur, quando dominus id requirit.

§. 6. Non importunè quæstio hinc sese offert talis: An & is, qui simpliciter investituram postulat, necessum habeat, ut simul etiam faciat fidelitatis pollicitationem, atque ad juramentum Seniori exhibendum sese offerat? Videtur quidem negativa palmam præripere; tum, quia is, qui simpliciter petit, se tacitè offerre intelligitur ad fidelitatem præstandam; tum, quia cum aliquid simpliciter fit, præsumitur fieri eò ordine, quò debet fieri, ut *Baldus dicit l. 77. ff. de Acquir. vel am. hered.* Hinc remotâ fidelitate investituram aliàs impetrari non posse creditur, fidelitatis enim pollicitatio, dum ipsa investituræ petitio fit, tacitè intelligitur, eaque haud ambigè præsumitur, teste *Schradero l. 6. c. 3. n. 4.* id propter non opus esse videtur, ut simul fidelitas in petitione investituræ exprimatur *arg. l. non rectè 3. C. de fidej.* id quod etiam Jure Saxonico procedere dispalescit in *Land R. cap. 22. §. nach des Vatern Tode binnen Jahr und Tag komme der Sohn zu seinen Herrn und biere Ihm seine Mannschafft an etc.* Ubi expressam fidelitatis oblatæ mentionem minimè fieri perspicitur. Verùm consultius ac tutius imò necesse esse ducimus cum *Magnifico Dn. Struvio Doctore meo plus quàm filiali pietate suspiciendo in Syntagm. J. F. cap. 8. aphor. 6. n. 7.* ut, si Fidelis de promisso feudo se investiri discupiat, petitioni investituræ fidelitatis pollicitatio sive oblatio ad ipsam inseratur: idem insimul faciendum monet *Laurentius Sylvanus de feud. recogn. qu. 108.* Ita enim Seniori de prompto & fi-

B

deli



deli Vasalli animo optimè constare potest. Non obstat denique communi Dd. calculò recepta ratio: Solâ investituræ petitione comprehendi etiam cætera investituræ consequentia, & sic etiam ipsam fidelitatem *Vultej. 1. F. 7. n. 102.* Resp. enim ibi nulla distincta consequentium istorum comprehensio pernoscitur; sed confusa saltem; textus autem *in tit. 24. & 40. in pr.* ibi: *fidelitatem pollicendo & investituram petendo*, apertè desiderat, ut investituræ petitio ita instituat, quò fidelitas & debita ergà dominum reverentia dilucidè declaretur *Rosenthal. c. 6. concl. 65.*

§. 7. Indagandum quoque hìc occurrit: An fidelitatem istam juratoriam Vasallus per procuratorem, qui in animam ejus, ut loquuntur, jurando fidem promittit, præstare etiam possit? Si respicimus Juris Civilis dispositionem, negativæ sententiæ applaudendum arbitramur innixi præsertim *l. 12. §. 4. C. de reb. cred. & jurejur. l. 2. in pr. ibi: ipsæ principales personæ subeant jurejurandum C. de jurejur. propt. calumn. & l. 1. pr. ibi: nam sacramenti timore l. 2. §. sic enim 8. C. de jurejur. propter calumn.* Verùm affirmativa stabiliri potest 1. ex Jure feudali: quod nunquam personam investituram accipientem distinguit *2. F. 3. §. sed utrum. Ubi Dd. & 2. F. 2. §. 2. vers. item investitura vel per se vel per suum nuncium.* adeoque certum & extra dubitationis aleam positum esse videtur per procuratorem etiam fidelitatis juram. fieri posse: 2. ex Jure Canonico secundùm cuius normam & amissim hodiè consuetum est, ut ad juramentum procurator admittatur, jurans in animam principalis *cap. nullam fin. de juram. calumn. in 6. qui ad agendum 4. vers. procurator. de procurator. in 6. cap. presentium 2. de testibus in 6.*

§. 8.

§. 8. Pari autem ingenio iudicioque sententia hæc
 neutiquam ferenda est de juramento subjectionis **Zul-**
digung oder Erbpflicht: ad istiusmodi cumprimis ju-
 ramentum subditus Domino sub cuius imperio habitat,
 personaliter præstandum tenetur, nec per procurato-
 rem id explicare potest *vid. Moz. de subst. feud. n. 11. p.*
138. Idem iudicandum cadit de juramento domesticita-
 ris, (aliàs assécurationis, **Raths oder Dienstpflicht**) quod
 quis præstat ratione officii, quamvis nullum feudum
 possideat, putà, quando Consiliarius, Camerarius &c. per
 juramentum asseverat, se juxtà posse fidelitatem exhibe-
 re velle in avertendo discrimine Domino imminente,
 tutandoque recto honore ipsius *2. F. 5. §. Si verò domesti-*
cus &c. Vultej. 1. F. 6. num. 6. E converso verò testatur
Schneidew. in Epit. feud. p. 5. n. 85. juramentum istud fi-
 delitatis, vulgò **Lehn-Eyd** per procuratorem sæpius &
 quidem sub quâdam luculenter ostensâ formulâ præsti-
 tum fuisse: **Ich N. N. als gevollmächtigter Gewalt-**
träger / daß N. N. schwere und gelobe in N. N. Ges-
wissen und Seele etc. Hæc in re tamen quisque se ad lo-
 cales regionum & curiarum consuetudines accommo-
 dare tenetur. In aula Electoris Saxonix, ut luculenter
 testatur *Hartm. Pistor. l. 12. q. 47. num. 59. in fin.* nunquam
 Procurator ad jusjurandum pro Vasallo faciendum ad-
 mittitur; sed ipsius Vasalli præsentia semper desidera-
 tur. Cujus rei meliùs probandæ gratiâ produco in argu-
 mentum *text. Land R. lib. 3. artic. 85. in fin. ibi: Den Eyd*
soll er selber hernach schweren. Adstipulatur quoque
Chursl. S. Proceß-Ordnung cap. 18. f. 46. ubi dicitur: **Es**
soll ein ieder Eyd von dem Principal selbst geleistet/
kein Anwalt aber / da er gleich ein speciale mandatum
hette / hierinnen zugelassen werden.

§. 9. Quæstio porrò hîc emergit: Annon tutor & curator nomine pupilli jurare possit, ita, ut ne quidem speciali mandato opus habeat? Videtur quidem per eos, qui liberæ præsertim bonorum administrationi præfecti sunt, alterius nomine fidelitatis præstationem rectè perfici posse, quamvis ad eum actum speciali mandato non sint deputati *arg. l. 4. in pr. ff. de in lit. jur. cum & insuper illorum officium pro mandato reputetur Vultej. r. F. c. 7. n. 34.* Nos tamen negativæ potiùs assistimus, existimantes tutorem neque ad juramentum nomine pupilli, tanquàm inhabilis adhuc ad juratò faciendam fidem personæ admittendum esse, neque per consequens speciali mandato indigere; sed usque dum ipse pupillus rationis & iudicii maturitatem assequatur, atq; sic habilis ad jurandum censeatur, juramenti ejusmodi præstatio differenda est *Magnif. Dn. Struv. d. cap. 8. aph. 6. n. 6.*

§. 10. Eò verò casu, quò consuetudines locales admittunt procuratorem, requiritur præcipuè, ut mandatum speciale habeat, sive is sit procurator privatus, sive Syndicus, qui à Civitate vel Collegio quodam feudum ab aliquo tenente constitutus, nomine istius universitatis seu totius corporis jurat. Ejusmodi autem mandatum ita debet esse formatum, ut Domini nomen in eo cum primis declaratum appareat *Schrad. p. 6. c. 4. n. 31.* Et speciali ita mandato instructum procuratorem invitò etiam Dominò indifferenter admittendum & audiendum esse statuere videtur *Rosenthal. c. 6. concl. 37. n. 5.* quod tamen eò saltem casu procedere existimamus, quò Vasallus justò præpeditus impedimentò ipsemet comparere nequeat, aliàs tempus, quò jurari debet, donec impedimentorum tricis emerferit, citra ipsius præjudicium dilatione moderandum erit. *Georg. Schultz. in Syn. Jur. f. c. 9. n.*

9. n. 34. Et in hac re ante omnia vicissim attendendum est id, quod Regionum seu Curiarum consuetudo disponit & exigit *Vultej. 1. F. 7. n. 32.* Ac quando fortassè Senior justis probabilibusq; causis ipsius Vasalli præsentiam desiderat, putà, ut sciat & videat, qui ei sit comes & in quem sui fortunarumque conjiciat custodiam, tunc Vasallus in propria persona tenetur comparere & juramentum præstare *Schneidevv. p. 5. n. 88. Rosenth. d. cap. 6. concl. 37. n. 5.* neque distinguimus, utrum feudum modicum an magnum habeat; textus enim feudales nunquam eâ in re distinctionem admittunt; quapropter ad requisitionem Senioris sive Domini tam in modico, quam magno juramentum præstandum Vasallo incumbere communi Dd. scholâ affirmatur *Magnif. Dn. Struv. in d. Syntag. 7. F. c. 8. aph. 6. n. 4. Vultej. 1. F. 7. n. 39.*

§. II. Altioris tamen indaginis esse videtur: Num etiam propter feudum Francum, pro quo nulla servitia præstantur, Vasallus juramentum fidelitatis præstare teneatur? Id, quod intrepidè affirmamus, & quidem moti sequentibus fundamentis; Primò, quia unicus tantùm casus in toto jure Feudali reperitur, quò fidelitatis juramentum remittitur Vasallo, scilicèt, si in feudi constitutione speciali pacto id actum sit, ne juratam hanc fidelitatem Vasallus præstare cogatur *c. un. §. Et alia. 1. quæ fuit prim. caus. benef. amitt. 2. feud. 24. c. un. in fin. per quos fiat investit. 2. F. 3.* Posita autem regulæ exceptione una, eâ ipsa arguit cœteras exceptiones esse exclusas *l. questum 12. §. 43. ff. d. instruct. vel instrum. leg.* Atque sic; 2. Regulæ, quæ vult, quod nulla investitura fieri debeat illi, qui fidelitatem facere recusat *d. c. un. per quos fiat 2. feud.* tamdiu inhærendum, donec exceptio à Diss. probetur. 3. Quia, feudum hoc, licet à servitiis liberum, ta-

men feudum manet, & propterea Vasallus etiam ad juramentum fidelitatis præstandum est obstrictus *Rosenthal. c. 2. concl. 59. & ibi alleg. lit. A.* Denique, quia argumentum à servitiis ad fidelitatem negativè non procedit; Ratio, quia servitia feudi sunt accidentia, vel propria naturalia, ut F. F. loquuntur, non substantialia, quæ sine ejus corruptione abesse possunt; At fidelitas ipsa, quam & juramentum, ut diximus, comitatur, est de natura feudi interna, & ei substantialis, quæ sine ejusdem destructione ab eodem abesse nequit.

§. 12. Quod autem supra diximus pro quocunque feudo juramentum fidelitatis esse præstandum, hoc veritati ad eò consentaneum esse videtur, ut, etiam si plures existerent heredes vel successores in feudo, tamen omnes, si eodem *semel* præsentibus velit esse Senior, comparere atque singulariter, sive feudum sit divisum, sive indivisum jurare teneantur *2. F. 26. §. omnes 2. feud. 55. §. prætereà &c.* Qua tamè in re tres adhuc sunt attendendi casus. Primus est, si plures sunt defuncti alicujus Vasalli heredes, sed in divisione hereditaria defuncti illius vasalli feudum totum & in solidum ad unum heredem pervenit, & tunc ille solus ad juramenti præstationem tenetur, non etiam reliqui coheredes, qui de feudo nihil possident *c. un. §. omnes filii. ibi: quod si feudum ad unum &c. si de feudo defuncti cont. sit inter Dom. & Vas. 2. F. 26.* Quamvis de Jure Saxon. aliud sit dicendum, secundum quod, si reliqui fratres ad spem successionis obtinendam adhuc simultaneam *die gesamppte Hand* retinent, etiam jurare coguntur *Land R. lib. 6. Const. Elect. 45. p. 2.* Secundus casus est: si plures defuncti vasalli heredes seu filii feudum patris omnes pro indiviso retinere ac possidere volunt, & tunc omnes jurare coguntur

d. c.

d. c. un. §. omnes : Cui è diametro ob stare videtur *c. unic.*
si plures sint Dom. vel Vasall. 2. 77. ubi traditur : *Cum plu-*
res fratres Vasalli paternum habent beneficium, donec illud
indivisum possident, una fidelitas & unum servitium Do-
mino fieri debet, si verò partitum fuerit, quot partes, tot e-
runt fidelitates. Hottom. sanè antinomiam agnoscit.
Hartm. Pist. verò Jctus acutus *l. 2. q. 42.* hanc affert con-
ciliationem : Quando *in d. §. omnes* dicitur, quod omnes
filii fidelitatem faciant, tunc hoc ita exaudiendum esse,
quod unusquisque pro sua tantum parte juret, ac proin-
de omnes collectivè jurantes unam defuncti personam
suppleant, atque ita etiam juramentum ab omnibus præ-
stitum rectè una fidelitas appellatur *in d. tit. 77. c. unic.*
Prout ipsa hereditas ab omnibus & singulis heredibus
adita, quæ re ipsa & in veritate vel facto non una est, sed
plures sunt, una tamen dicitur fictione juris sive ratione
effectûs. Sed talis fictio ex jure feudali nondum probata
est. Imò *in d. c. un. §. omnes* dicitur, fidelitatem à pluribus
præstitam non pro una haberi, sed unam fieri debere,
adeoque non quæritur de eo, quod effectû unum sit, sed
re ipsa & per se. Et contradictionem implicat in adjecto,
ut id, quod actu & in facto multorum est & plurium, sit
numero unum: Aut si dicatur ita fictum esse, figmentum
falsum est, & ab rei esse alienum. Et hac ratione per fi-
ctionem & effectû omnia omnium juramenta essent u-
num, id quod absurdum. Aliter conciliat hos textus *Vul-*
teij. de F. lib. 1. c. 7. juramentû videl. esse unum contempla-
tione rei propter quam illud præstatur; esse verò non u-
num quoad personas, quæ illud præstant. Verùm non
sequitur : Fidelitas s. juramentum fidelitatis à pluribus
præstatur intuitu unius numericè indivisi feudi E. nu-
mero unum est, quamvis à pluribus præstitum: sed adhuc
plus

plures sunt numero fidelitates ratione personarum & Vasallorum in feudo collectivè concurrentium, & plura possunt esse adjuncta occupata unius subjecti occupantis. Deinde si talis fidelitas una esset propter feudum, utique effectū una, quo feudum attingit & afficit, non essentiā suā, de qua quaritur. Dicimus ergò, quando *in d. c. un. si plures sint Dom. vel Vasalli & c.* dicitur: *Donec illud indivisum possident, una fidelitas & unum servitium Domino fieri debet*; tunc vox *una* ita accipienda est, quod sit una Fidelitas specie seu quoad specificum modum ac tenorem juramenti; vel fidelitas una, non verò una numero. Nam quod unum numero est, numericè discretum est, adeoque præcisè tantum ab uno fit; at quod specie unum est, à pluribus fieri potest. Tertius casus est: Si plures sunt defuncti alicujus Vasalli heredes, & feudum inter se dividerunt, omnes & singuli jurare coguntur, & quidem non collectivè, ut unum juramentum sine aliorum mandato præstitum non sufficiat, sed singuli viritim jurare compelluntur. 1. propter *c. un. §. omnes*: in verbis: *maxime, si indivisum habent*. Quò loci fictio maximè habetur, quæ suā naturā & nativā significatione est amplificativa, ut explicando casum minus dubium implicet, & includat magis dubium. 2. propter *c. un. §. præterea de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. ss.* ubi expressè dicitur: *Omnes, qui partem feudi habent jam divisi vel dividendi, fidelitatem faciant*. Facit denique huc ratio possessionis, quia unusquisque heredum eo ipso, quo tenet partem suam feudi sive divisam, sive indivisam, sive limitibus distinctam, sive intellectualiter, eam tamen possidet, & ex ea possessione censetur etiam esse Domini Vasallus pro ea parte, quam possidet, & ejus emolumentum percipit, ac propter ejusmodi emolumentum.

lumentum Domino suo fidelis esse, ac propterea fidelitatem & jurare cogitur. Cœterum ita usu receptum esse animadvertimus, ut uni multorum nomine aliquod negotium expediendum assignetur, ne per expeditionem inter plures scissam incommodum alicui accersatur *arg. l. ergò 4. §. creditoribus 9. ff. de fideicom. libert. l. 25. §. 3. ff. fam. ercisc. & l. 5. §. 7. ff. judicatum solvi.* Et ita hæc consuetudo in Germania recepta viget, ut heredes defuncti Vasalli unum ex iis tanquam curatorem Germ. ein Träger oder Lehn-Träger ad investituram omnium nomine petendam & fidelitatem juratò promittendam deputare possint: teste *Hartm. Hartman. de feud. obs. 19. n. 2.* Quod & idem obtinet in heredibus Domini: hi enim perindè unum designare possunt, à quo investitura petitur, & cui omnium nomine fidelitatis juramentum præstatur *arg. l. 31. §. 5. de edil. edict. Sonsbec. p. 11. n. 26. Zasius part. 7. n. 11.* Quæ sententia quoque fovetur Jure Saxonico *Land R. c. 29.* ibi: **Der Mann darff aber nicht den von einem seines Herrn Sohn sein Gut empfangen.**

§. 13. Antequàm ad alia progressum corripiamus, lubet dispicere; an etiam Senior Vasallo jurato ad fidelitatem juratoriam faciendam astringatur? Sunt qui affirmativæ sententiæ patrocinium suscipiunt & urgent præsertim verba *fin. tit. 6. F. 2. ibi: Dominus quoq. in his omnibus vicem fideli reddere debet.* Unde & vulgatum illud ortum esse credunt: **Getreuer Herr / getreuer Knecht.** Atque hoc est, quod dicitur, Dominum esse Vasallo Collegam & conjugem, h. e. communi fidei vinculo conjunctum, uti nitidissimè declarat *Magnif. Dn. Struv. c. 2. aph. 5.* Negativæ autem utpote receptiori & tutiori subscribendum putamus; & respondemus, præ-

C

falu-

salutata ista verba finalia cum mica salis accipienda esse,
nimirum: Dominus quidem Vasallo fidelis debet esse,
ipsique justitiam administrare, vel auxilium, quoties ne-
cessitas flagitat, ferre. Exinde tamen nequaquam sequi-
tur, quod Domino fidelitatis juramentum præstandi ne-
cessitas itidem sit imponenda; Dominus siquidem tan-
tummodò tenetur in his vicem reddere Vasallo, in qui-
bus una eademque offenditur Ratio: Rationem autem
diversitatis inter obligationem Vasalli & Domini hac
in re omninò assignari perspicimus ex eo, quod Vasallus
aliàs liberto, & Dominus feudi Patrono æquiparetur
Schrad. p. 6. c. 7. n. 10. Zasius part. 7. n. 10. Verùm Patro-
nus liberto suo juramentum præstare non cogitur *l. 34.
§. 4. ff. de jurejur. l. 13. §. pen. ff. de damn. inf.* Ergò nec
Dominus feudi tenetur suo Vasallo jurare: & ita non in
omnibus, quamvis in plerisque eandem Domini & Va-
salli rationem esse subolemus. Nullibi insuper hâc etiam
de re in Jure feudali quid dispositum reperitur, sed po-
tius immunitas ab ejusmodi juramenti præstatione Do-
mino semper tributa intelligitur. Et ita, si Vasallus quo-
que à Domino exigere vellet juramentum, videretur de
ipsius fide dubium concipere, & sic metuere ab eo perfidi-
am, cum tamen tantoperè ipsum dilexerit, ut tantum
beneficium in ipsum contulerit *Vultej. 1. F. c. 10. 37.* Un-
de sanè asseverandum potius erit, quod Vasallus solum-
modò jurandi necessitate sit onerandus.

§. 14. Præstitò verò juramentò, Senior præcisè co-
gitur fidelem suum investire, possessionemque rei in
feudum concessæ tradere *2. F. 7. §. 1. 26. §. si facta Rosen-
thal. cap. 6. concl. 13. Facit text. in c. un. §. fin. per quos fiat
investitura 2. F. 2. ubi Feudista scribit: nulla investitura
debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat.* Unde sequitur
à con-

à contrario sensu, quod Dominus eum, qui fidelitatem
facere paratus est, vel jam fidelitatis juramentum præ-
stitit, teneatur investire, nec præstando interesse libere-
tur *Magnif. Dn. Struv. c. 8. aph. 9. n. 3.* Quod tamen i. fal-
lit, si fortè aliqua justa exceptio vasallo objici potest, si
scilicèt feloniam vel delictum, propter quod feudum a-
liàs amittitur, commiserit, modò Dominus hoc in con-
tinenti probare possit *Schrad. p. 5. c. 2.* 2. Si Dominus
tradendi facultate destitutus sit, tunc ab ipsius rei præsta-
tione, solvendo ejus locò interesse, seu omne commo-
dum, aut æquivalens ejusdem bonitatis, aut pecuniam
æquivalentem præstando, liberatur *Sonsbec. p. 9. n. 31.*

§. 15. Omnis autem, qui liberâ rerum suarum admi-
nistratione, & sic facultate rei tradendæ gaudet, copiâ
investituram faciendi pollet 2. *F. 3. §. novi verò. facit l. 6.*
C. de her. vel act. vend. l. 1. pr. 11. §. 9. d. act. empt. l. 4. C.
eod. Quod usque adeò Veritati accedere videtur, ut sic
quilibet privatus etiam ignobilis & rusticus res suas aliis
in feudum dare possint; *Sonsbec. p. 6. n. 15. Zas. p. 2. n. 31.*
Schrad. p. 4. c. 1. n. 5. Nec refragatur illud; quod rusticus
tanquàm obscurioris loci & conditionis persona non
possit jurisdictionem in Vasallos exercere; & ita nec feu-
dum dare Resp. Rusticus ratione rei in feudum conces-
sæ non quidem impetrat eandem jurisdictionem, quæ
secundùm Juris Civilis dispositionem deposcitur; sed
notionem saltem, & jurisdictionem consuetudinariam.
De consuetudine autem jurisdictio privato minùs dene-
ganda est *cap. 4. Extr. de arbitr.*

§. 16. Circa adorationem investituræ intereà ad-
vertendum est: quod Dominus ex hodierno usu opus
non habeat, ut adhibeat testes, sive pares sint, sive extra-
nei; sed sufficit saltem, si locò testium ex Jure feudali

adhibendorum conficiatur scriptura seu instrumentum de actu investituræ (ein Lehnbrief) quod Domini tantummodò subscriptione & sigillò peculiariter plerumque ad id efformato roboratur *Georg. Schulz. in Syn. Jur. feud. c. 9. n. 69.* Hujusmodi præterea subscriptioni & sigillationi Domini s. Principis subscriptio etiam Cancellarii, qui Principis locum tenet adnecti consuevit, uti videre licet apud *Vultej. 1. F. c. 7. n. 42.* Controvertitur autem: An pro Domino seu Seniore, an verò contra illum pro vasallo investito investituræ sit facienda interpretatio? *Vultej. d. F. lib. 1. cap. 7. n. 56.* qui sequitur *Menoch. de presunt. lib. 3. presunt. 92.* & *Vvesenb. d. feud. c. 7. n. 24.* hoc quidem vult. Verùm ex nullo solido fundamento. Rectius ergò distinguimus cum *Nobiliss. Dn. Præside, 3^{to} consummatissimo, Præceptore ac Patrono piè de venerãdo in com. ad Jus feud. tit. 2. lib. 2. feud. vers. si verò Vasallus:* Aut controversia est de verbis investituræ, quibus onus aliquod imponitur Vasallo præter feudi naturam, & Domini jus augetur. Et hoc casu facienda est interpretatio contra Dominum, qui sibi imputet, quod legem contractui non apertius dixerit *arg. l. 39. ff. de pact.* cum in dubio Vasallus se ad id, quod minus est, censeatur obligasse; Aut controversia est de pacto, quo Domino jus minuitur & Vasalli augetur. Et hoc casu illa interpretatio est adhibenda, quâ minùs receditur à Jure Senioris aliàs secundùm propriam feudi naturam ipsi competente, quia itidem se ad minus verbis ambiguis censeatur obligasse, & Vasallus majus quid exigens, utpotè verbis iis non expressum, petere non potest, ac imputet suæ imprudentiæ, quod non melius sibi providerit, & promissionem, quam ipse intendit, curaverit claris verbis exprimi, ut inde etiam de mente Domini promittentis satis potuerit constare.

§. 17.

§. 17. Investiturâ ita subsecutâ, Vasallus statim do-
minijutilis in re feudali compos evadit, remanente pe-
nes Dominum dominiô, quod vocant, directo seu pro-
prietate, die Grund-Gerechtigkeit oder der Grund-Ei-
genthumb / quam regulariter in concessione sibi reser-
vâsse censetur Dominus 2. F. 8. §. ult. 2. F. 23. in fin. Hinc
ex reservatô hujusmodi dominio directo, nec non ra-
tione ac nomine istius rei in Vasallum translatae com-
petit Seniori jus in personam sui fidelis, quem ad fidem
præstandam habet obligatum, *Magnif. Dn. Struv. in
Synt. 3. F. c. 11. aph. 2.* Unde etiam Vasallus tradere tene-
tur Domino instrumentum recognitionis feudi per an-
tapocham sive literas reversales, quibus Dominum a-
gnoscat, seque ejusdem Vasallum, qui fidelitati ipsi ex-
hibendæ semper intentus existere velit, profiteatur *Ro-
senth. c. 6. concl. 67.* Insimul hic adnotandum: quod in
iisdem literis, quæ vulgò vocantur, reversales, res à Do-
mino in feudum datæ specificè enumerentur, uti diser-
tè testatur *Hartm. Pistoris p. 2. q. 46.*

§. 18. Nunc inter ea, ad quæ Vasallus Seniori ratio-
ne rerum feudalium præstanda astringitur, occasio quæ-
rendi offertur: Annon cogatur Vasallus egeno ac pau-
pertate presso de redditibus & commoditatibus ex feudo
perceptis alimenta subministrare, ac manum suâ pecu-
niâ (ut loquitur *Zaf. p. 7. n. 47.*) porrigere. Videtur qui-
dem pietati & æquitati esse consentaneum, ut affirmati-
va arripiatur; Verùm de juris rigore tutius reor, ut ne-
gativæ calculus adjiciatur: Addimus tamen exceptio-
nes: 1. nisi Dominus ex Vasalli factio ad paupertatem
prolapsus *Vultej. 1. F. 10. n. 35.* Vel 2. aliud pacto vel te-
nore investituræ cautum sit. Vel 3. nisi statutum vel
consuetudo loci contrarium exigat. 4. Denique adne-

Etimus: similiter nostram opinionem non procedere, si feudum sit gratuito concessum, pro quo sc. nulla servitia præstanda sint; tunc enim Vasallus ex obligatione ad *avridogga* (quâ quilibet naturaliter astringitur ad id, quod honestas & æquitas exigit) ad alimenta secundum feudi quantitatem videtur esse obligatus *Magnif. Dn. Struv. c. 11. aph. 5. n. 15.* Annon etiam Vasallus compellitur ex redditibus rerum feudalium suppetias ferre Seniori pro filia dotanda ac in matrimonium collocandâ, ulterius non frivole controversitur. Nos Negantium partibus accedendum censemus; quamvis non desint, qui affirmativam amplectuntur, inter quos *Speculator*, quem sequitur *Zasius*; cum tamen ipse *Zasius p. 7. n. 21.* fateatur, Vasallum Domino de alimonia non prospicere teneri, nisi ex ipsius Vasalli facto ad paupertatis terminos redactus esset. Quid autem aliud est, filiæ dotem porrigere, quam alimenta suppetitare? Si ergo pro maritandâ filiâ teneretur subsidium conferre, utique & ipsi Domino alimenta præcludere non posset, cum hac in re multis parasangis ipsi filiæ antecire debeat, vid. *Sonsbec.* Quò refertur, quod solummodo patri conveniat dotare filiã *l. 19. ff. de R. N.* adeò, quòd nec mater regulariter cogatur eam dotare *l. neq. mater 14. C. de Jure dot.* nec frater sororem, nisi ex justis & probabilibus causis, vel lege specialiter expressis in gloss. in *l. 12. ff. de administr. tut.*

§. 19. Interim tamen Vasallus Seniori suo obligatur ad omnia alia, quæ fidelitatis appellatione continentur, omnibus tam corporis, quam animi viribus, & non tantum pacis, sed etiã belli & seditionis tempore: Nam, nullo non tempore, nullò non locò in memoria sex habere debet, ut loquitur *Feudista 2. F. 6. incolume nempe, tutum, honestum, utile, facile, possibile.* Quæ non inconcinnè tri-

tribus capitibus concludi possunt: Reverentiâ sc. Seniori à vasallo exhibēda, Taciturnitate & Servitiis ad commodum & utilitatem Domini præstandis. Hæc singula nunc ordine declarare animus est. Primò autē omnium Reverentiâ & honorē, quos tanquam proximos Comites fidelitas excipit, contemplandos præponemus. Diximus supra, quod illi, qui fidelitatē facere recusat, nec investitura fieri, neq; per consequens feudum constitui possit. Erit itaque non absimili modo judicium ferendum de reverentiâ & honore Seniori à fidei debitis: quippè hisce fortunatis initiis, tanquam firmissimis columnis tota ferè feudi moles innititur; & iisdem neglectis atque remotis, feudum constitutum firmioribus Statuminibus neutiquam gaudere & niti valet; sed, oportet, ejusdem status seu conditio brevi tempore ad nihilum recidat. Convenit siquidem Vasallo ultrò & non requisito *arg. t. ff. de obsequ. parent. & patr. imò, etiam ad nullum servitium obligato Vultei. 1. F. c. 10. n. 22. Rosenth. c. 8. concl. 34.* Omni omninò loco & tempore, quandocunq; occasio deponet, Dominum debitâ reverentia venerari atque prosequi *arg. tit. 38. in fin. F. 2. nō enim minora commoda ex hujusmodi reverentiæ exhibitione in feudi conservationem devenire animadvertuntur; quapropter nullum unquam probrum Seniori ingerere, nec contumeliosè in ipsum existere, neque malum, quantumvis verum, de eo loqui decet Schulz. in Syn. 7. F. c. 10. n. 3.* Sed, vel quocunq; potius in loco se humilem, devotum & fidelem erga illum gerere tenetur *c. un. circa med. vers. quomodo enim ibi: quàm humiliter, quàm devotè, uti præcipitur 2. F. 23.*

§. 20. Assertum fuit, quod Vasallus æquiparetur libero & Dominus feudi Patrono. Quamvis quidem ratio

tionē beneficiorū diversam aliās inter Patronum & Dominum feudi; libertum & vasallum intercedere, nulli inficiemur: Majori equidem beneficiō libertus, dum accipit libertatem, tanquam rem inæstimabilem *l. 106. ff. de R. J.* fuit ornatus; hinc etiā grande & inæstimabile beneficium appellatur *l. 1. ff. de oper. libert. & summū pretium Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.* idcirco etiam Patrono præsertim ratione personæ, quam libertate condecoravit, arctiori observantiæ vinculo videtur devinctus, quàm Vasallus, qui saltem ratione rei in feudum datæ, tanquam minoris beneficii Domino obstrictus est. Quoad nostrum tamen præsens negotium horum eandem esse rationem intelligimus. Clarissima loca in Jure Civili ostendunt, libertum sine donatæ libertatis jactura adversus Patronum nihil, quò fortè dignitas ejus obfuschetur, reverentia ipsi conveniens lædatur, vel existimatio sugilletur, suscipere posse; sed semper præcavere oportet, ne Patroni dignitas, ne reverentia debita, ne ejusdem fama adversos sentiret stimulos. Sic Vasallus vigore jurisjurandi fidelitatis ad honestum obligatus est, ne sc. Domino sit nocumento in iis, quæ honestatis præconium concernunt, vel quicquā faciat ac moliatur, quò Domini fama labe conspergatur, vel ipsi dignitas & status minuatur, aut honestatis splendor quòcunq̄e modò obscuretur *arg. t. 6. de form. fid. F. 2. Rosenth. c. 10. concl. 23. n. 1. Schrad. P. 6. c. 6. n. 100. Schneidew. de feud. P. 5. n. 115.* sed præprimis eò is eniti debet, quò honor ipsius Domini extollatur magisque amplificetur *Schulz. d. c. x. n. 3.*

§. 21. Libertus porrò in litem ac contentionem cum Patrono conflata incidens, non potest Patronum adigere ad juramentum calumniæ; propterea, quòd illud reverentiæ, cujus firmiori nexu Patrono aliās est obstrictus,

ctus, debitæque observantiæ amissi ex diametro con-
travenire videatur; In argumentum accedere potest *l. 8.*
§. pen. ff. qui satisd. cog. l. 16. de jurejur. l. 7. §. 3. ff. de obseq. par.
Quod nunc de Patrono adseveratum, id minùs inconve-
nienter ad Dominum feudi extendendum; sicuti enim
persona Patroni liberto, ita & Vasallo persona Domini
semper sancta & honesta videri debet. Imò hâc in re o-
pus non esse videtur, ut ad simile legis, nempe ad patro-
num recursum capeamus, quia hic casus: An Domi-
nus præstet juramentum calumniæ, in doctrina feudali
decisus relucet, ut expressè ostenditur *in t. 33. §. in qui-
bus F. 2.*

§. 22. Quod famosâ in super actione Dominus non
pulsari & conveniri possit, videtur perinde reverentia &
obsequium ex fidelitate profluens requirere, quia actio
hæc faciliùs possit infamiæ notam inurere *arg. l. 10. §. 12.*
ff. de in jus voc. l. 2. & l. 5. de obseq. par. & patr. l. 4. §. adver-
sus de dol. mal. except. l. 11. §. 2. de dol. mal. Similiter Va-
sallo contra Dominum interdictô undè vi experiri non
licitum esse liquet; hæc enim actio ex hoc interdictô vi-
cissim non leviter famam ac honorem ejus laceffere vi-
detur, ejus tamen loco admittitur actio in factum *Ma-*
gnif. Dn. Struv. cap. 11. aph. 3. n. 1. Zas. p. 7. n. 49. In qua
actione instituendâ observandum est; ut factum verbis
honestis & mollioribus recensatur, delictum non infe-
ratur neque crimen intendatur, sed ut rem restitui petat-
ur, uti videre licet *ap. Rosenth. c. 10. concl. 23. n. 2.*

§. 23. Porrò & hic non ultimô locô inter effectûs
reverentiæ computandum est, quòd vasallus Domino,
nullam dicam impingere seu eundem accusare possit,
neque alium, qui accuset, instruere. *arg. l. 14. §. sed etsi.*
ff. de bon. libert. l. 1. §. incidit ff. ad SCtm. Turpillian: Non

D

ob-

obstat: quòd minimè Reip. expediat, quando delicta re-
linquuntur impunita, Ergò necesse esset, ut ad eorum no-
titiã perveniatur *l. 18. ff. de injur. l. 15. §. quod si. ff. ad L. A-
quil. &* quamvis huic, tanquam veritati consen-
taneo non reluctandum putemus; interim tamen non
etiam videntur jura velle, ut accusatio ista à tam conjun-
ctis & necessariis personis instituatur; cùm commodius
fieri ab aliis; imò & ipse Magistratò ex officio & per viam
inquisitionis adversus delinquentes procedere possit.
Vasallus enim cum primis vi præstiti juramenti Domi-
num devotè & humiliter adire debet *2. F. 23. vers. quomo-
do*, ut honor & existimatio ejus salva & illibata servetur.
Sequitur exinde porrò quòd nec testimonium adversus
eundem Dominum perhibere valeat per text. express. in
c. un. §. 2. 2. F. 33. Secus est in ipsa causa feudali: nimirum:
si agatur de investituræ negotio, tunc Vasalli tanquam
Pares Curia ad testimonium contra Dominum rectè ad-
mittuntur per *xxx. 1. F. 26. 2. F. 32. & 33.* Aliud deindè
obtinet, si de ejusmodi crimine sit dijudicandum, quod
contra Principem vel Rempubl. commissum esse dici-
tur, tunc Vasallus rursus à testimonio contra Dominum
ferendo non erit arcendus *Nov. 115. c. 3. vers. si eos in Cri-
minal.* Et denique concors est Dd. opinio: testimonii
perhibitionem eò casu itidem non denegandam esse
Vasallo, quando à Judice ad testandum sub commina-
tione pœnæ cogeretur. Vid. *Magnif. Dn. Struv. d. c. 11.
aph. 3. n. 4.* In divortium tamen sententiæ abit *Finckelth.
Disp. 10. contr. 8.*

§. 24. Lubet hìc inquirere: Annon Vasallo remo-
tã veniæ impetratione Dominum in jus vocandi copia
sit concessa? Audemus asseverare quod sic; Nam Jure
feudali nusquam cautum reperitur, quòd Vasallus sine
veniã

venia; in Jus vocare prohibeatur. Dominus siquidem
 Vasallo sicut Vasallus Domino in omnibus obstrictus
 videtur, secundum supra laudatum illud Germanicum
 πολυβούλητον, *getreuer Herr / getreuer Knecht*. Ubi tamen
 advertendum, quod nimirum in his (ut docet *Schrader.*
P. 6. c. 6. n. 20.) obligetur Dominus vasallo, ad quæ ipse
 Vasallus tenetur Domino ex dispositione legis sive con-
 suetudinum feudalium: Secus verò in his, in quibus Va-
 sallus tenetur Domino præter legis dispositionem ex tenore
 & speciali pacto investituræ: in hisce enim Dominus
 Vasallo vices reddere non cogitur. Cum autem Dominus
 Vasallum non habeat ut Vasallum, Vasallus è contrario
 minus cogitur habere Dominum ut dominum *arg. c. esto*
subiectus 7. distinct. 95. Ubi Episcopi habeant clericos quasi
 clericos, ut ipsis Episcopis quasi Episcopis honor defera-
 tur. Huc accedit: 1. quòd Vasallus nõ sit accensendus his,
 qui absque venia agere nequeunt, de quibus *in l. 2. cum*
seqq. ff. de in jus voc. 2. quòd insuper violenta ista in jus
 vocatio à foro nostro recesserit; nam, actores propriam au-
 thoritate hodiè reos in jus vocare non possunt. Olim
 persona ista, quæ reverentiâ deveneranda erat, graviori
 injuria affici videbatur, cum privatâ autoritate obtortõ
 collõ secundum antiqui juris dispositionem in Jus rape-
 retur. Totum itaque edictum prohibitorium *l. 13. ff. de*
in jus voc. (ubi generaliter illas personas, quibus singula-
 ris reverentia præstanda, sine præviâ veniæ impetratione
 & jussu prætoris in jus vocare interdicitur) intelligen-
 dum est de jure obsoleto *Rosenth. c. 10. concl. 23.* Quod
 nunc moribus hodiernis planè non attenditur. Hanc
 intereà sententiam non solum in provinciis Saxonis
 observari tradit *Arnold. Reyger. in add. ad Mynsig. Cent. 4.*
obs. 62. sed eam etiam secutos fuisse judicando Assesso-

res summi Tribunalis Camerae Imperialis dum in causa
Groslegen fratrum contra Comitem de **Hanaw** pro-
nunciarunt, uti testis est omni exceptione major ipse
Mynsing. jam d. l. Quam etiam sententiam bene tutatur
Rosenth. c. 5. concl. 59. in not. lit. N. Et in *c. 10. concl. 23. n.*
23. eandem veriore in Camera obtinuisse ipsemet te-
statur dicens: *Novi in Camera Imperiali in multis causis*
observari ut Ducum, Principum, Civitatum & similium Im-
peratorem recognoscentium subditi non teneantur de ne-
cessitate talem veniam petere. Quod si nunc subdito fi-
ne speciali venia Magistratum in jus vocare permitten-
dum sit, multo minus de Vasallo aliquid dubii subornari
potest, cum Vasallus vi juramenti subjectionis magis ob-
ligetur territorii Domino, sub cujus Imperio habitat,
quam Vasallus Domino feudi. Interim tamen pro cau-
tione majore secundum consuetudinem ex consilio
Advocatorum receptam veniae petitionem libello sup-
plici inseri convenit *Schneidev. in Epit. feud. part. 5. n.*
116. & ad §. poenales 12. Instit. de act. num. 45. conf. Georg.
Schultz. in Syn. F. c. 10. n. 5. & in Synops. Judic. posit. 28.

§. 25. Ex obligatione ad reverentiam ulterius flue-
re videtur: quod Vasallus res istas jure feudi possessas a-
lienare volens opus habeat consensu Domini. Istius-
modi enim alienationem absque consensu Domini il-
licitam & prohibitam esse pro regula servandum est, *r.*
F. 5. in fin. i. F. 13. §. ult. i. F. 21. §. si miles. 2. F. 9. pr. 24. §.
ult. 26. §. feudum ea lege 38. 44. 52. §. si quis vero & 55. §.
callidis itaq. Tum, quia propter alienationem praesertim
irrequisito Domini consensu factam non leviter laedi-
tur ejus autoritas & reverentia & ita ipsi Domino invito
alius Vasallus pro alio obtruditur *2. F. 12. vers. ne forte*
invitus: Tum, quia Vasallus feudis aut facultatibus exu-
tus

tus proporrò servitia nõ commodè præstare potest 2. F. 52. pr. vers. per multas. 2. F. 55. pr. Vultej. 1. F. 10. n. 44. vers. sed sicut. Ejusmodi alienatio minùs etiam admittenda erit in rebus subinfeudatis, in quibus subvasallus itidem tenetur non solum subinvestientis, sed etiam superioris Domini consensum ad earum alienationem adhibere; retinet siquidem directum suum dominium etiam superior Dominus in ipso subfendo. Iniquum autem foret sine consensu superioris subinfeudare & ita absque facto id est consensu ejus jus suum eripere l. 11. D. de R. J. nec frustra 2. F. 55. §. insuper, bis hic mediatus major dominus vocatur quo innuitur, omni procul ambiguo proprietatem minimè esse extinctam. Quæ itaque prohibitio usque adeò procedit, ut feudum nec permutari, nec in solutum dari possit, de qua tam arctæ prohibitionis ratione agit pluribus Zaf. P. 9. n. 4. Sed quæritur: an non propter urgentem necessitatem Vasallus inconsulto Dominò res feudales possit alienare? Hanc quæstionem ambiguan & periculosam esse fatetur Finkelthuf. Disp. 9. contr. 10. Humanitati quidem & æquitati consentaneum videtur esse, ut cum nonnullis affirmativam tueamur, ab hac tamen recedere clara juris dispositio jubet 2. F. 52. 55. quorum vigore nec pro animæ salute feudum alienare Vasallo licet, sed omnimodò prohibita censetur alienatio, quæ neque propter necessitatem sive famis sive æris alieni permittenda: Necessitatem insuper delicta non excusare liquidò constat per l. 43. §. non est ignoscend. 5. ff. de R. N. Huic non reluctatur, quod aliàs dicitur, necessitatem non habere legem; Nam, quod necessitas equidem suadeat fieri alienationem, nulli inficiatum concedimus; Interim tamen quomodo fiat, scilicet ut fiat neglectò Domini consensu ex isthoc colligi

minus potest. Vasallus siquidem præprimis implorare debet consensum Domini, ne reverentiam Domino debitam lædendø delinquat ac inde in felonix crimen incurrat.

§. 26. Quò insimul refertur, quòd Vasallus non polleat potestate realem servitutem prædio feudali sine Domini consensu imponendi; Et quamvis ipsa servitutis impositio Dominum nullò afficiat damnò; tamen alteram prohibitionis causam, quæ est reverentia Domino exhibenda, adhuc durare indubitatum est *vid. Borcholt. de feud. cap. 8. n. 77. 78. 79.* Hinc & pariter prohibetur constitutio hypothecæ in re feudali *arg. tit. 52. §. 55. add. Dn. Finkelth. p. m.* hanc rem pluribus deducentem *Disp. feud. 9. contr. 11.* Cui consequens est, quòd feudi donatio, propè ac filix in dotem datio interdicta reperiat *2. F. 9. §. donare 7.* Interim notandum, quòd non prohibeatur Vasallus commoditates & fructus ex feudo perceptos pro filia elocanda in dotem constituere *Zaf. P. 9. n. 8.* Et quidem æquitatis ratione habitâ, longissimoq; temporis usu comprobatum, uti loquitur *Hartm. Pist. l. 2. part. 2. quest. 37. in pr.* ut sc. filia in subsidium, si hereditas allodialis non suppetat, ex feudo alimenta & dos porrigantur *Modest. Pist. vol. 1. conf. 5. n. 22. Magnif. Dn. Carpz. d. oner. Vas. in feud. dec. 3. pos. 3. n. 16. 17.* Idque omni dubitatione caret in Electoratu Sax. per *Proc. jud. tit. 45.* es trägt sich auch offte zu. in verb. Wollen wir / daß sie in solchen Fällen die Töchter / woferne sie sich an denen Erb-Gütern nicht zu erholen / auch in dem Lehn ein solch Recht haben sollen / daß sie alle dasjenige / was ihnen zu ihrer Ausstattung von ihrem Vater zustehet &c. und sich derowegen an das Lehn / ob es schon in andere Hände kommen wäre / halten möge. Quanta autem dos

cx

ex feudis decerni debeat, Domini decisioni committendum putamus.

§. 27. Porrò hìc quæritur: 1. Annon in Emphyteusin Vasallus non requisitò consensu Domini possit dare fundum feudalem? Licèt multi affirmativæ patrocini-um suscipiant; inter quos *Clarus qu. 33. n. 4. & Vultej. 1. F. c. 10. n. 47.* Nos tamen in negativam potiùs inclinamus eamque statuminandam putamus ex *tit. 9. F. 2.* ubi contractus libellarius reperitur prohibitus; Nam, uti in isto contractu exigua pensio exigitur; ita & in Emphyteusi, hinc Longobardis contractus libellarius idem fuit, qui Romanis Emphyteusis. Quapropter dationem fundi feudalis in Emphyteusin tanquam alienationem quandam per quam possessio ac dominium utile trãnsfertur interdìctam existimamus 2. Controvertitur: Annon tacitus Domini in alienatione feudi sufficit? Qui hoc negant, moventur *c. 1. d. prohib. feud. alien. per Frider. 2. F. 55.* Ubi reperitur verbum *licentia.* quod expressum denotare videtur consensum. Verùm contraria sententia affirmativa nobis magis placet, modò tacitus consensus rectè explicetur, ita ut præter scientiam & patientiam desideretur etiam præsentia, si nihil aliud sit, ex quo consensus tacitus colligi potest, utpote si de alienatione ad Dominum literæ essent scriptæ, quibus acceptis tacuisset; item si alienationem factam sigillo suo confirmasset *vid. Vultei. d. feud. lib. 1. c. 8.* Nec movere aliquem debet verbum: *licentia.* quod *in d. c. 1.* reperitur: nam & tunc Dominus licentiam alienandi dedisse censetur, quando præsens est, & tacet ac alienationem suo sigillo confirmat. *add. Rosenth. d. feud. c. 9. concl. 31. Mynsing. cent. 4. obs. 87. & Vvesenb. d. feud. c. 8.*

§. 28. Reverentiæ tandem effectibus accensemus;
quod

quod vasallus investituræ renovationem ultrò & sine admonitione justò & congruò tempore petere teneatur 2. F. 40. 2. F. 24. pr. 1. F. 22. & quidem præcipuè Dominus de renovanda hâc investiturâ reverenter & obsequiosè i. e. cum honoris præfatione est requirendus *Zaf. P. 7. n. 13. Schrad. p. 6. c. 1. n. 19.* Deinde etiam obstrictus est ad relevium s. laudemium pro ista investituræ renovatione præstandum, quando statutum, consuetudo aut pactum id exigit *Rosenth. c. 6. concl. 66.* Hæc de reverentia.

§. 29. In vicino nunc juxtâ reverentiam subsellio taciturnitas locum tenet, quam, ordinis ratione deponente, dispiciendam proponemus: Vasallum enim, cui arcanum sub fidelitatis juramento fuit cognitum, vi præstiti juramenti semper cavere oportet, ne id ab ipso reveletur, quò fortè Domino grave dispendium infligi aut faciliùs ejusdem famæ & existimationi macula affricari possit *arg. tit. 17. F. 2.* Et si manifestaverit meritò beneficio suo seu feudo privatur, quia i. peccat violando juramentum *c. un. de nov. form. fidel. 2. F. 7. 2.* quia is, qui revelat secreta proditor censetur. *Andr. d. I. fern. ad tit. quib. mod. feud. amitt. 1. F. 17.* Nec interest verbis, literis, signis vel aliò modò Vasallus secreta Domini revelaverit; Tum quia consuetudines feudales inter modum revelationis non distinguunt; Tum quia regulariter non curatur de modo, dummodò constet de effectu *arg. l. cum servus. 104. ff. d. V. S. & ibi Jason. ac Dd.* Solam tamen secreti à Domino commissi manifestationem hîc non attendimus, sed eam demùm, quæ ex animo fraudulento provenit, quæq; redolet dolum malum ac malevolû propositû: Tum, quia crimè tunc contrahitur, si & voluntas nocendi interveniat *l. i. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Tum, quia animus & propositum delinquen-

quentis maleficia distinguunt *l. 53. ff. de furt.* Si igitur intercedente nocendi voluntate atque animo damnificandi vasallus id, quod in sinum ejus Dominus effudit, effutiat atque propalet, feudi jacturam minimè effugiet: Nec distinguimus, utrùm Dominus reverà & actu damnum ex rerum concreditarum revelatione sit consecutus, sive non; sufficit enim si modò dolus malus ex conjecturis, circumstantiis, personarum qualitate & indiciis similibus fuerit probatus, et ita damnum inferendum animo agitaverit, quamvis ad actum non sit perductum: cùm ut semper proposito fraudulento eventus correspondeat, minimè requiritur; penes ipsum siquidem vasallum manifestantem nequaquam stetit, quòdamnum minùs fuerit illatum, fecit enim ille quidquid facere potuit, & quidem contrà suum juramentum, cujus vigore ad omnem fidelitatem Seniori exhibendam obligatus est, cum primis egit *2. F. 5. 6. & 7. Schrad. P. 9. c. 5. n. 53.* Non obstant verba *tit. 17. F. 1. ad eorum damnum.* Nec *tit. 6. F. 2.* Quò collimare videntur negantis sententiæ Patroni, quorum albo allegendus venit, *Rosenth. & Gothofred. in not. ad. d. t. 17.* Verùm sensus Feudistæ ibi non est talis, quasi actu ipso damnum subsequi debeat, sed sufficit malam saltem præcessisse intentionem. Hinc in delictis non ad exitum, sed voluntatem respiciendum esse suadent *l. 7. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. §. 3. ff. eod. l. 5. C. de Episc. & Cler.* Et non nisi dolò malò falsum committentes crimini subjugantur *l. 20. C. ad L. Cornel. de fals.* Fraudis insuper interpretatio in jure civili non ex eventu duntaxat, sed consilio quoque perpenditur *l. 79. ff. de R. 3.* Idcirco vasallus nullam etiam pœnam luit, si revelatio ista non associata fuerit voluntati maculam famæ Domini attrahendi, aut aliud damnum

E

in-

inferendi, etiamsi Domino damnum exinde sit acce-
raturum.

§. 30. Ex his jam nascitur occasio quaerendi: Si
damni nunc eventu non impedito, ambigatur, quô for-
sitan animo secretum fuerit enunciatum, vasallo an Se-
niori probatio ista incumbat? Videtur quidem dicen-
dum, quod Domino, qui scientiam & dolum allegat va-
salli, probandi onus incumbat juxta *l. quoties 18. §. qui
dolo 1. ff. de probat.* Verum quoniam in proposito casu
praesumptio pugnat contra Vasallum, qui facit contra
formam fidelitatis *in c. 1. de nov. form. fidel. 2. feud. 7.*
praescriptam, idcirco ipsi tanquam rem per se illicitam
perpetranti incumbit onus probandi, se nimirum mani-
festationem non damnificandi animo fecisse *vid. Schulz.
in Syn. Jur. F. c. 11. n. 25.* Interea tamen etiamsi hoc pro-
bet vasallus, Domino nihilominus contrarium proban-
di copia minimè etiam adempta censetur *Schrad. P. 9. c. 5.
n. 54.* Hæc ansâ & opportunitate alia etiam quaestio of-
fertur: Num Vasallus manifestans adulterium reverà
à Domino commissum feudo priveretur? Affirmativæ
sententiæ assistendum ducimus, quia facta & dicta pari-
bus ambulant passibus *l. 32. ff. de LL.* Et generaliter *in d.
c. 1. de form. fidel. 2. F. 6.* scriptum est, quod vasallus non de-
beat Domino suo esse in damno de suo secreto. Nunc
autem certum est, quod lex generaliter & indistinctè
loquens, generaliter sit intelligenda *arg. l. 1. §. cum ur-
bem ff. d. off. pref. urb. l. 3. ff. d. offic. presid.* Unde etiam
non juvat Vasallum vel à pœna privationis feudi relevat,
si extraneis aut etiam amicis Domini secreta manifesta-
verit, uti nec in eo casu, ubi alii hæc secreta jam sciunt.
Nisi factum sit omnibus notorium. *Gigas in tr. de crim.
lase Magest. p. 21. n. 8.* Aliud obtinet, quando Dominus
Va-

Vasallo concedidit, quòd secum destinâisset cum aliqua honesta matrona rem habere, tunc vasallus, postquam hortationibus aliisque precibus Dominum, ut animum ab isthoc execrando proposito abalienet, incessavit, nullus autem locus dehortationibus illis fuit relictus, inhonestum & ad enorme scelus tendens hoc consilium Vasallus aliis propalans feudi amissione minimè mulctandus erit, qua de re *vid. Schrad. d.l.n. 65.* Proinde nunc in vasallo id tantummodò improbandum existimamus, cum ab ipso, Domini consilia, quãvis inhonesta & illicita temerè & indistinctè, nullaque factâ præcedentè dehortatione in apricum proferantur.

§. 31. De altero capite nimir. Taciturnitate, quam Vasallus assiduâ statione, ne Credentia, ut loquitur *Feudista d.t. 17.* ad Domini damnum scienter manifestetur, colere debet, nunc etiam est dictum. Cui consequens est, ut simul quoque de Servitiis, ad quæ secundum regularem feudi naturam Domino exhibenda vasallus tenetur, verba faciamus: Ampliori equidem negotio de iisdem tractandum esset; nos tamen quantum possibile erit, breviter sectabimur. Quamvis, inquam, servitia regulariter tantummodò ad naturâ feudi spectent, ab eorum tamen præstatione vasallus, nisi in investitura de eorundem remissione expressè dictum sit, immunis non evadit. Fide enim ipsâ tanquam ipsissimâ formâ & essentiâ feudi servitia continentur *Giph. Disp. f. 1. n. 30.* Quapropter Vasallus feudum eâ lege à Seniore concessum possidere præsumitur, ut is, quoties opus erit, ad servitia præstanda promptus ac paratus existat: Ratio potissima est: quia omnis commodi & utilitatis vel ex re ipsa, vel occasione rei provenientis perceptio in eum redundat *Vultei. lib. 1. c. 10. n. 20.* Et hoc insuper jus consequitur

is, qui dominium directum habet, ut ei præstanda sint
servitia, imò ex eorum etiam præstatione præsertim ar-
guitur rem esse feudalem *Magnif. Dn. Richter in Parte prio-
ri Jur. Decis. decis. 6. num. 36.* Hinc, licet in concessione
feudi nulla servitiorum facta fuerit mentio, nihilomi-
nùs tamen Vasallus & ipsius in feudo successores ad ser-
vitia obligati intelliguntur *Rosenth. cap. 8. concl. 4. n. 3.*
Servitia siquidem de ipsa feudorum natura esse apparet
ex *tit. 6. de form. fidel. §. ult. & t. 7. de nov. form. fid. F. 2.*
Ideò & omni feudo non minùs ac substantialia inesse
præsumuntur. Quidquid enim de natura alicujus con-
tractùs est, id tacitè inesse existimatur, præstandumque
venit, etsi de eo nihil fuerit conventum *l. ii. §. i. ff. de
Act. Empt. & l. 3. ff. de reb. cred.* Vasallum itaque servi-
tiis obnoxium esse clarissima loca ostendunt, ut pate-
scit ex *tit. 26. vers. licet t. 28. vers. ad hæc. t. 37. in fin. t. 55. §.
firmiter & denique t. 54. §. ut autem F. 2.* Qui, cum gene-
raliter Vasallum ad servitia præstanda obligatum a-
gnosceri videantur, neque ullam hac in re distinctio-
nem admittant, an in investitura de servitiis conventio
facta fuerit nec ne, indistinctè accipiendi erunt *arg. l. 1.
§. 1. ff. de legat. prest.* Servitia autem pacto interim remitti
posse, non est, quod inficiatum eamus *Schrad. P. 2. c. 2.
n. 32. & P. 6. c. 6. n. 37. Rosenth. c. 2. concl. 59. in f.* quia tan-
quàm naturalia à feudo omninò removeri possunt, quod
secus foret, si ut substantialia essent in considerationem
vocanda; Rei enim alicujus substantialia ipsâ re salvâ
manente nunquam abesse possunt; sed uno eorum ces-
sante, res vel actus ipse intereat atque pessum feratur
necesse est *l. 12. C. de testam.* Feudò autem per eam pa-
ctiõnem, quâ convenit, ne pro eo Vasallus ullum ser-
vitii onus subeat, acquisitò, ipsi tamen à cæteris fidelita-
tis

ris juramento comprehensis nulla immunitas tributa
censetur. *vid. Andr. Kobl. in tr. de Servit. P. 4. num. 94.*
Zaf. P. 12. n. 34. Hinc est, quod ab omni eo, per quod
Dominus in damnum & periculum præceptus dari posset,
abstinere, omneque ingruens, periculum quantum in
ipsius viribus situm erit, avertere atque prohibere simul-
que salubribus consiliis eidem præstare esse debeat.

§. 32. Servitia vasallitica præterea regulariter de-
bent esse militaria sive equestria *Ritterdienste* quæ præ-
stari solent in expeditionibus vel belli tempore *l. F. l. §.*
notand. autem. l. F. 5. pr. 2. F. 12. Unde vasalli passim mi-
lites nominantur, & ipsa feuda alias vocantur *κτῆματα*
σπαλωμένα seu possessiones & prædia militaria. Nam hunc
in finem Principes olim strenuis, & usu rerum milita-
rium præstantissimis Viris feuda concesserunt, ut of-
ficia & servitia manu militari in acie, quoties necessitas
postulasset, præstarentur. Successu vero temporis cœ-
pit feudorum concessio non tantum ad militaria, sed et-
iam ad alia honesta servitia & officia pacis tempore ob-
eunda extendi, prout in feudis *Guardiæ*, *Guastaldiæ* &
aliis apparet. Et liquet *ex tit. 7. 26. §. licet & 28. vers. tu*
tamen F. 2 quod Vasallus ad opem Domino ferendam,
quoties usus incidisset, generaliter & indistinctè astrin-
gatur; adeoquæ non solum in militia armata, sed etiam to-
gata s. pacis tempore servitia, suadente præferim utilita-
te Domini, subministrare cogatur *Magnif. ac Nobiliss. Dn.*
Struv. in tr. feud. cap. 11. aph. 5. n. 2.

§. 33. Ad utilitatem itaque seu commodum Do-
mini servitia, quorum oneri Vasallus subjugatus est, sem-
per accommodari debent *arg. tit. 7. de nov. form. fid.*
Quemadmodum enim libertus ex commodo patroni o-

peras edere tenetur *l. 24. ff. de op. libert.* Ita & Vasallus nulla non temporis intercapedine eò enitatur, quò servitia vergant in utilitatem ac emolumentum domini, non tam pecuniarium (ut loquitur *And. Kohl. in d. tr. de servit. p. 8. n. 2.*) quàm tuitionem incolumitatis & vitæ, propulsionem periculorum, conservationem & augmentum honoris, rerumque suarum concernens. Et ab ejusmodi nunc servitorum præstatione neque feudum modicum neque amplum immune censetur, nisi forsitan investituræ instrumentum vel catalogus feudorum (*Lehn Registeren*) conventionem de servitorum remissione factam probent, vel aliundè de necessitate serviendi remissa constet, alioquin feudum sive exiguum sive opulentum sit, servitiis exemptum nunquam præsumitur *2. F. 23. vers. fin. Schulz. in Syn. F. cap. 10. n. 22.*

§. 34. Non solum autem Vasallus tempore instantis necessitatis, sed etiam ob aliam singularem festivitatem, puta, nuptialem adornandam (*so wohl in Ehren als in Nothfällen*) servitorum exhibitione domino præsto esse debet *v. Andr. Kohl. in d. tr. p. 4. n. 77.* Limitatur autem hæc sententia in eo feudo, de quo conventio fuit facta, ut Vasallus munere suo vasalliticò per certa, saltem & determinata servitia defungatur, quod aliàs vocatur conditionatum (*Sezlehen*) *2. F. 23. in fin. 75. & 89.* quò concessò ultrà modum in conventionem præstationi servitorum adjectum aliis ille onerandus non est *arg. l. 21. in fin. C. de procur. & l. ult. C. de pact. Zas. P. ult. n. 13. Rosenth. c. 2. concl. 65. n. 3.* Et hujus species volunt esse feudum Castrense *Burglehen* & feudum Aulicum *Hoflehen* quod pro officio certo aulico est concessum, puta, ut tempore celebrationis nuptiarum vel in conventu Principum sive aliorum magnorum procerum mensæ astet,

astet, & pocula subministret de quibus vid. *Schrad. p. 2. c. 4. n. 17. §. 54.* Ubi verò servitia investiturarum pactio-
bus definita non sunt, sed ob indeterminata feudi
concessio fuit facta, tunc Vasallus obligatur ad omnia
ea, quæ ceteri ejusdem conditionis & regionis Vasalli
præstare solent *Vultei. c. 6. n. 13. Rosenth. c. 8. concl. 25. Schrad. P. 6. c. 6. n. 3.* Ponderatis itaque feudi ac Vasalli
conditione, quantitate & regionis consuetudine servi-
tiorum exactiorem fieri convenit, & quidem præcipuè
ea, quæ exiguntur, honesta debent esse; inhonestum e-
nim & probrosam servitii pactum prorsus rejicitur, &
honestatis rationem præprimis habendam esse ipsa feu-
dorum placita dicunt *2. F. 7. de nov. form. fid. vers. ho-
nestum. Illustrissimus Schenck. in tr. de feud. l. 3. t. 1. n. 14.*
Et quamvis turpe servitii pactum contractui feudali ul-
trà consveta servitia adjectum fuerit, nihilominus ta-
men sola licita & consveta præstantia, & feudum quod
semel traditum fuit, à Domino repeti non potest; sed
proporrò id jure feudi possidendo colit: tum propter *l. 3. l. 8. de cond. ob turp. caus. l. 2. C. eod. l. 128. ff. de R. J. §. 1. l. 5. §.* ex quibus elucescit, quod in pari causa, quæ turpi-
tudinem saperet, semper personæ possidentis conditio
sit præferenda; tum, quia pactum illicitum contractum
traditione rei vel aliò modò consummatum & executioni
mandatum vitare & infringere non potest *Schrad. P. 2. c. 2. n. 12. add. Dn. Struv. d. l. n. 18. Rosenth. c. 6. concl. 22. n. 3.*

§. 35. Coeterum regulariter Vasallus in propria
persona comparere, & servitia exhibere tenetur, cum
in feudis Vasalli industria electa censeatur *Dn. Struv. d. c. aph. 6.* Quoties nunc alicujus personæ industria electa
est, tunc copia per alium faciendi & serviendi videtur
præcisa *arg. l. 31. ff. de solut.* Vasallus siquidem Domino
ob

ob feudum tanquam peculiare beneficium arctissime obligatus est; Exinde majore in eum affectione proclivis, majorique pro ipso pugnam suscipiendi ardori addictus praesumitur, quam substitutus, à quo saltem servitia mercenaria praestantur. Idcirco Domini plurimum interest, Vasallum utpote fidelitatis juramento firmiter devinctum in propria persona servitia obeunda subire *vid. Kohl. p. 1. n. 166.* Non obstat, quod industria alicujus personae propterea non electa praesumatur; quum feudum ad heredes Vasalli masculos devolvi consuetum sit: commissa verò alicujus industriae ad heredes ejus minimè transeant *arg. l. 9. ff. de curat. furios.* Ideò in his, in quibus non esset electa industria, facere sive servire liceat per substitutum §. 1. *J. de mandat. &* enim: quamvis defunctò Vasallò feudum ad heredes transferatur, attamen eorum etiam industria successivè, prout feudum obtinebunt, electa intelligitur; defunctò enim primò acquirente liberi masculi in feudo succedentes fidelitatis juramentò itidem ad servitia Domino fideliter exhibenda se astringere tenentur; insuper etiam investiturae renovatio, quam post mortem Domini & Vasalli subsequi oportet, iisdem pactis & conditionibus, quibus primus acquirens eam accepit, adornari solet *Rosenth. c. 8. concl. 23. n. 3.* Et sic tam ipsi heredes, quam primus vasallus per se, non per alios servire debent. Interim tamen substitutum indifferenter non admittendum esse, haut potest affirmari: quando nimir. justum ac probabile impedimentum ab onere servitii subeundo ipsum vasallum sufflammat, ibi nihil videtur prohibere, quò minus substitutus Domino acceptabilis mitti possit *Magnif. Dn. Struv. d. l. impeditus* siquidè plus favoris meretur, majoreq; venià dignus ducitur; quam nō impeditus *arg.*

arg. l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog. Et ita nobis hîc tantùm sermo est de seruiendi necessitate ipsi vasallo, qui nullis impedimentis districtus, imponendâ; quod scilicèt eum in propria persona seruitiis vasalliticis se submittere oporteat. Vasallo autem casu quopiam accidentaneò ad feudi functionem inhabili reddito per substitutum seruiendi licentiam, annuente præsertim Domino, lubentiùs elargimur; renuente verò & invitò Dominò eam vicissim denegandam esse existimamus: illius enim voluntas hâc in re præcipuè attendenda est *arg. l. 13. de manum. test. Schenk. Baro lib. 3. tit. 2. n. 6.* Quo casu insuper acceptabilis substitutus mittendus est. Acceptabilis autem substitutus is dicitur, qui Domino æquè atque Vasallus utilis est *2. F. 55. §. firmiter.* & ibi jàm nominatus Schenck. Hinc Vasallò non tantùm strenuò, verùm etiam strategematum exactè gnarò magnisque consiliis ad res bellicas salubriter accommodandis clarò existente, non sufficit si ejus locò quis saltem strenuus substitueretur, nisi peræquè idoneus ad consilia communicanda adhiberi, & ita prudentiâ suâ communibus patriæ malis medicari possit, interim tamen Vasallus juri & obligationi suæ satisfecisse videtur, si modò Dominus missum substitutum, quamvis non æquè idoneus sit, admiserit *Schultz. in Syn. F. c. 10. n. 38.* Ubi quidem secus obrinere putat *Schrader. P. 6. c. 6. n. 48.* si Dominus seruitia in quantitate minora absque protestatione receperit, quàm Vasallus ipsi præstare obligatus fuit.

§. 36. Sententia porro de mittendo substituto, per quem seruitia Vasallitica ritè expediri possunt, ampliat^rur i. ut obtineat, etiamsi ipsemet Vasallus seruitia in se suscipere valeat: cùm nimirum neque ætas minor, neq; seniò exhausta, neque morbus, infirmitas, vel alia quæ-

F

dam

dam causa nullum impedimentum injiciat, in tantæ ta-
men dignitatis fastigium euectus, summosque amplissi-
mi honoris apices promotus, ut ipsius honorifico, quò
fulgeret, statui indecorum esset futurum, si in propria
persona munus Vasalliticum obiret *100. F. 2. l. 21. de E-
pisc. & Cler. facit etiam l. 8. in fin. ff. de procur. & l. 34. ff.
de oper. libert. 2.* Ampliatur cum ad Imperialem expedi-
tionem milites sint transducendi; Nam tunc Domini
non multum interest, Vasallus ipse proficiscatur in can-
dem expeditionem, an substitutum mittat, quia hæc ex-
peditio solum Imperatoris & Imperii ratione, non ipsi-
us immediati Domini gratiâ suscipitur, vid. *Kohl. in tr.
de servit. P. 1. n. 64.*

§. 37. Notandum præterea hîc est, quòd præcisè
non cogatur Vasallus impeditus substitutum mittere, si
Domino feudi dimidiam fructuum feudalium illius an-
ni, in quo Dominus ab ipso servitia petit, subministrare
paratus sit. *2. F. 55. §. firmiter.* Quod tamen ita procede-
re putamus, nisi Domino magnum commodum ex ipsi-
us Vasalli præsentia accedere posset, aut personæ Do-
mini magnum periculum immineret, ex quo remotâ
Vasalli vel demùm substituti alicujus grati ope & operâ
eluctari minùs valeret: ut putâ si hostium fortè agmine
circumvallatus, vel obsidione cinctus, vel hostium in-
cursionibus de improvîso in ipsum factæ essent. Hi enim
casus omnem reddituum contributionem excludere vi-
dentur; cum longè consultius & utilius sit, ut vel per
ipsum Vasallum vel substitutum servitia præstentur,
quò eò faciliùs ingruens periculum cohibeatur, atque
propellatur, hostiliumque gladiatorum vis & cuspis ani-
mosè retundatur, ac omnis in Dominum faciendæ ir-
ruptionis spes ac potestas adimatur *Schultze. in Syn. F. c.*

19. n. 39. *Andr. Kohl. in tr. de Servit. P. 1. n. 172. Schrad. P. 6. c. 6. n. 56.* Nullâ verò necessitate, aut evidente utilitate Domini suadente, an ipse Vasallus sive substitutus cõpareat, tunc in vasalli arbitrio situm esse animadvertimus, utrum velit per substitutum servire, aut onus serviendi reductum præstatione redimere, prout liquet ex *d. tit. 55. §. firmiter.* Quod nunc in omni habili casu, quò vasallus impeditur, obtinet, & non tantum in expeditione publica (*Römerzug*) seu illò casu, cum supremus Princeps sive Imperator in Italiam ad suscipiendam in Urbe Roma coronam tendit. Vel: cum contra hostes Imperii Romani bellum gerenti serviendum est, ita ut, si mallet, reductum saltem pro servitiis pendat, uti rectè declarat *Rosenth. c. 8. concl. 23. n. 12.*

§. 38. Hisce jam asseveratis succedit Quæstio: An & Domino excommunicato servitia Vasallitica sint præstanda, sive dimidia reductum pars solvenda? Nos communi negantium placito suffragamur, sententiamque nostram efferimus per *text. in tit. Domino guerram 28. F. 2.* Vasallus siquidem, antequàm Dominus Ecclesiæ reconciliatus ac in ejusdem gremium receptus est, nullo fidelitatis nexu interim obligatus censetur. Quapropter & durante hac excommunicatione ad nulla obsequia & servitia adigi, neque etiam ad spontaneam servitiorum exhibitionem admitti potest *Illustr. Schenck. l. 3. t. 6. n. 21. Rosenth. c. 8. concl. 9. n. 4.* Ratio est: quia cum excommunicato omne commercium, omnisque conversatio interdicta est, atque sic de jure omninò efugiendus venit *c. sicut 16. c. qui communicavit 19. c. omnis 32. caus. 11. qu. 3.* Idem quoque de bannito sentiendum cadit per *tit. 28. F. 2. Rosenth. c. 3. concl. 23. n. 2.* cum bannitus non solum beneficiò juriū Statutariorū Regionis seu

Civitatis, ubi domicilium ipsius colitur, excludatur; verum etiam omnia ea, quæ sunt Juris Civilis Romanorum communis, perdat, iisdemque fruendi potestatem non prius recuperet, quam priori hospitati fuerit restitutus *Bartol. in l. 5. §. 1. ff. de cap. demin.* Interim tamen jus hoc Domino non tam extinctum, quam suspensum esse, non ignoratur: quando enim is Imperiali beneficio priori Statui restituitur, tunc simul etiam omnia pristina jura & feudalia bona ad ipsum revertuntur *Constit. Imp. de pac. publ. sub rubr. Die Poen der Friedbrecher.* Unde etiam omnis alienatio feudalium bonorum bannò durante vasallo prohibita est. *Schrad. P. 6. c. 5. n. 17. Schenck. d. l. n. 23.* Banni siquidem absolute ex Imperiali indulgentiâ impetratâ, idem Vasallus à servitiis hætenus relaxatus ad omnem fidelitatem & officia vi juramenti antè debita de integro astringitur. Quæret quis: si è contrario Vasallus esset excommunicatus vel bannitus, an & hic à servitorum exhibitione immunis evadat? Sed hæc negativa omninò amplectenda est; quia Dominus aliàs absque suâ culpâ servitiis defraudaretur, & inde in ipsius Vasalli præsertim commodum immunitas ista ex malitiâ adcersita derivaretur *Sonsbec. P. 11. n. 28.*

§. 39. Porrò quaritur: An Domino injustum bellum & quidem offensivum gerenti sit serviendum? Omne auxilium & servitium ei denegandum esse cum communi Dd. schola statuimus: Dominus enim graviter delinquit; dum bello sine necessitate sese implicat; aut bellum non inter artificia est numerandum; sed rem potiùs horrendam, ut eam non nisi summa necessitas honestam efficere queat, ut loquitur *Grotius l. 2. c. 24. §. 9.* & sic illicito operi operam navat, qui talis modi periculum nullâ necessitate cogente subit: in illicitis autem
Va-

Vasallus ad Dominum auxiliò sublevandum ne utiquam se recipere tenetur *c. 1. de nov. form. fid.* Alioquin, si præsertim bellum à parte illius Domini, cui militat, injustum esse sciat, periculo peccandi omninò se exponit, nullamque excusationem meretur: cum & solius prædæ cupiditate ductus ad pugnam exardere præsumatur, & ita effundat sanguinem innoxium, ac injuriâ afficiat illos, qui eum nunquam læserunt, quod utrumque injustum ac impium. Unde ex æquitate receptum esse animadvertimus, ut, si Vasallus injustè offendenti præstò fuerit, ad cladem alteri parti inflictam emendandam & refarciendam, nullâ attentâ excusatione astringatur *Vultej. 1. F. c. 10. 25. Schrad. P. 6. c. 6. n. 26. Rosenth. c. 8. conclus. 9.* Huc accedit, quod aliàs Baldus injusta bella pro latrociniiis reputet *in cap. Domino guerram n. 6. hic finitur lex.* fides autem ad ejusmodi facinora nullam extensionem patitur *l. 7. §. si ob maleficium ff. de pactis,* sed in promissis malis rescinditur. Hinc in odium injusti belli permissum est Vasallo in ipso etiam prælio Dominum injustè belligerantem deserere & sine poena amissionis feudi fugam sibi consciscere *Rosenth. c. 8. concl. 22. & c. 10. concl. 16. n. 28.* Quod tamen fallit, si dolo malo desertio esset facta; nempe si Vasallus belli injustitiæ cognitionem haberet, antequàm Dominum in prælium fuerit comitatus *Sonsbec. P. 12. n. 12.* Causam autem propter quam bellum suscipitur apertè injustam esse oportet, aliàs si dubium suboriretur; justa belligerandi causa sit, nec ne, indistinctè tam in bello offensivo, quàm defensivo cogere tur Domino Vasallus consilio & corpore opem ferre; in ambiguo enim belli causam semper justam is sibi persuasam ducat, nec in investigandâ causæ justitiâ & injustitiâ curiosè fixus hæreat *Andr. Kohl. in*



*fr. de Servit. P. 2. n. 50. ubi etiam simul monitum talis-
modi subjicit: Vasallos hac in parte maxime cautos esse
oportebit, ne quibusvis injustitiam cause asseverantibus
oscitanter credant, nec temere sibi persuadeant, persuade-
rivè sinant, bellum quod molitur Dominus, illicitum esse,
nisi de injustitia constet evidentissimè: sed tutiorem viam
eligant, adjuvando Dominum: alioquin verendum eis, ne
in periculum amissionis feudorum incurrant, dum incerto
prætextu injusti belli servitia recusant.*

§. 40. Probè itaque distinguendum est inter bel-
lum justum & injustum; in justo enim bello Vasallus
servitia Domino debita nunquam subterfugere potest;
sed omnes in primis omninò nervos ad adjuvandum,
eum in militia laborantem intendere, eundemque con-
tra omnes, etiam contra patrem, filium, fratres, cæteros-
que sanguine conjunctos suppetiis sublevare tenetur
per text. express. in tit. 28. in fin. F. 2. Rosenth. c. 8. concl. 24.
Quamvis hoc durum videatur, rationiq; naturali pro-
fus obsistere; unde etiam non desint, qui illud in acro-
tes altercationes trahunt, & tanquàm detestandum
quid, & ab omni pietatis atque honestatis limite, quam
longissimè remotum esse credunt: quod videlicet Va-
sallus ad auxilium contra omnes, patrem quoque suum,
cui aliàs lege naturæ singulari pietatis nexu est obstri-
ctus, ferendum adigendus sit; servandum tamen esse di-
cit *Vultejus l. F. 10. num. 33.* cum lex consuetudinis ita sit
scripta, uti in simili etiam respondet *Ulpianus in l. pro-
spexit. 12. qui & à quib. manumiss.* Cui legi omne robur
derogare videtur *Sonsb. P. 11. n. 36.* dum multis in con-
trarium nitens scribit: *existimarem contrarium potius
tenendum, & legem talem nullo modo servandam, cum con-
trà præcepta sit divina, patrem offendere, que præcepta
Chri-*

Christi haud dubiè pluris sunt facienda, quàm privata illa
consuetudines seu leges. Sunt enim abominabiliter ini-
qua, quae non solum apud Christianos, verùm etiam apud
Ethnicos contra pietatem parentibus ex natura debitam
sceleratissimè pugnant. Quid enim foedius, ait ille porrò,
periclitante patre Vasalli, cum Domino pugnante par-
tibus Domini assistendo, impiè paterno sanguine made-
facere manus? In eandem sententiam inclinat *Accursius*
in gloss. ad tit. 7. verb. Contra omnem hominem, dum vo-
cabulum PATRIS sicco præterit pede. Et *Cujac. in 4. F.*
31. vocem PATREM ex textu planè eliminandam putat,
tùm quod in veteri libro nō reperiatur, tùm quod ipse
vetus interpres eam respuerit. Verùm hæc correctio me-
ritò ab aliis improbatur, & rectè ab *Hottomanno* ratio-
ne destituta vocitatur, prout ostendit *Rosenth. c. 8. concl.*
16. in not. lit. A. Nam vulgata exemplarium lectio ista
hanc vocem omninò retinet, & ut toleretur, ipse quo-
que textus suadere videtur; proinde in eo ne quidquam
mutandum esse censemus. Non possumus tamen in-
ficiatum ire, quod si textus *in d. t. 28. F. 2.* crudè & gene-
ricè accipiatur, non solum contra legis divinæ, verùm
etiam Juris Gentium normam directus deprehendatur:
Omnibus quippe hominibus inter sese commune est,
ut parentibus obsequium sumamus, *l. 2. ff. de J.*
& J. Si autem textum istum per limitationem introspi-
ciamus, atque cum quodam distinctionis temperamen-
to acceptemus, erit omninò inhærendum ipsius ver-
bis. Consuetudo hæc disponens Vasallum vi juratæ
fidelitatis contra parentem obligari, hanc potius inter-
pretationem recipit: quòd videlicet tùm demum & ca-
tenus Dominus non iuvandus sit, quando & quatenus
pietas, conscientia, ratio & jus naturale resistit. Aliàs si-
qui-

quidem Parentes, quibus ut cætera omnia, sic initium nascendi & vitam ipsam post Deum acceptam ferimus, offendere, eosque tam enormi injuriâ laceßere cum summa impietate conjunctum, nec homine Christiano dignum foret. Suadent exindè Dd. quod in hac ipsa defensione præcipuè caveat Vasallus, ne amorem & pietatem parenti suo debitam lædat, sed mitius agat filius cum patre suo in isto prælio, quàm fortè ageret ipse Dominus; imò nec ipsemet filius contra Patrem opem ferre cogatur, sed pro se alium mittere possit *Magnif. Dn. Struv. c. 11. th. 8. n. 1.*

§. 41. Annon etiam adversus seipsum teneatur Vasallus, non importunò hìc locò quæstio exurgit: Notissimum est Juris Naturæ & Civilis principium, quod ordinata charitas à se ipsa incipiat *c. si non licet 9. caus. 23. q. 5.* & sicut primam fidelitatem primo Domino; ita primam charitatem sibi ipsi quisque Vasallus debet *arg. l. 6. ubi gloss. C. de Servit. & aq.* Hinc in generali sermone seu obligatione persona loquentis semper excepta præsumitur *l. 18. C. de solut. l. 10. ff. comm. præd.* Nec consensus quis adjecisse videtur iis, quæ sunt contra seipsum *l. 29. & ibi Bartol. ff. de pignor.* Vasallus itaque dum fidelitatem contra omnes juravit, intelligitur saltem sensisse de aliis, imò si tempore investituræ de auxilio contra seipsum ferendo expressè dictum esset, procul omni ambiguo vasallus huic reluctatus esset: generali autem promissione non continentur, quæ peræque non promittenda essent, etiamsi specialis de iis interrogatio institueretur, vid. *Andr. Kohl. in tr. de Servit. P. 3. num. 30.*

§. 42. Ex his nunc resultat, quod Vasallo minùs etiam prohibitum sit adversus Dominum injustè offendere.

dentem auxiliò uti, seque defendere *arg. t. 6. F. 2. & arg. l. 28. C. de transact.* Huc faciunt *l. 3. de f. & f. & l. 2. & 3. C. ad L. Corn. de Sicar.* ex quibus apparet cuius licitum esse injusto invasori resistere, hostilemque vim cohibere ac propulsare. Sequitur exinde quoque, quod nec Vasallus vitam ac salutem propriam Domini vitæ antepone- re cogatur: Ubi enim instat periculum præsentissimum, & Dominus aliàs lethali vulnere læsus, vel ipse Vasallus graviter vulneratus est, tunc hic quasi extrema necessi- tate adactus omninò vitam suam fugâ salvare potest, & liberè discedere; etiamsi post Vasalli desertionem Do- mino plura vulnera infligerentur, ex quibus citiùs ani- mam exhalâret; cum tamen interiturus non fuisset, nisi Vasallus fugam corripuisset *Rosenth. c. 10. concl. 15. n. 21.* Satius enim est & consultius, cum res eò redacta sit, ut uterque sine jactura & amissione vitæ evadere nequeat, evadere potiùs Vasallum, quàm sine Domini commo- do perire utrumque *Præ Nobiliss. atque Excell. Dn. Præ- ses, Præceptor atque Patronus meus omni honoris cultu per- petim mañandus in comm. ad tit. 5. F. 1. lit. a. q. 4. urgent dissentientes 1. tit. 39. F. 2. vers. si à morte: ubi indistin- ctè dici videtur, Vasallum, qui à mortis periculo Domi- num vindicare potuit, & hoc neglexit, feudi amissione mulctandum esse. Sed textus ita intelligendus est: si modò Vasallus sine suimet ipsius interneccione seu vitæ suæ naufragio ex periculo isto eum eripere valuerit. 2. l. 1. §. 28. ff. de Scit. Syllan.* Ex qua lege perspiciendum est, quod non debeat servus vitam suam Domini vitæ ante- ponere. (Hinc mirificè commendatur fidelitas famuli cujusdam genere nobilis ergà Mauritium Saxonie Du- cem declarata; Nam cum hic inter conflictum cum ho- stibus habitum equò confolsò in terram effusus esset, is

G

cor-

corpore toto superincumbens, jacentem protegit, & tantisper illos demoratur atque sustinet, donec equites superveniunt, qui Principem eriperent. Itaque vitam ei servavit: ipse verò multis acceptis vulneribus in castra relatus, non multò post interiit, uti commemorat *Sleid. in comm. de Stat. relig. & Reip. l. 15. in pr.* Simile exemplum fidelis famuli Panopionis videtis apud *Valer. Maxim. l. 6. c. 8. de fid. serv. erg. Dom.* Responderi autem potest, magnam discriminis rationem intercedere inter servos & vasallos; Domini enim servos non solum suæ potestatis ergastulo districtos alunt, sed etiam jure vitæ & necis in eisdem competenti pollent *l. 1. §. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur.*

§. 43. Ulterius excipitur Imperator seu Rex superiorem non recognoscens, cui & Dominus est subjectus, vel à quo feudum prius manavit per *text. express. in tit. 7. F. 2. de nov. form. fid. & c. imperialem 2. F. tit. 55. §. fin. ibi: in omni fidelitatis juram. Imperator nominatim excipitur, vid. Rosenth. cap. 8. concl. 15. & ibi all. Dd.* Deinde antiquior Dominus *tit. 28. §. fin. F. 2.* Huic enim cum prius ad fidelitatem obstrictus fuerit Vasallus, & quidem adversus eum quoque, à quo postea feudum accepit, obligando se posteriori Domino adversus priorem jus ejus minuire non potest, neque conditionem illius reddere deteriorem *Schrad. d. feud. part. 6. c. 6. 21. Schenck. Baro ad d. t. 28. lib. 2. feud. Andreas Kohl. in tract. de servit. feud. p. 3. n. 38.* Et hoc in tantum verum est, ut neque per se, neque per substitutum posteriorem adversus antiquiorem Dominum juvare possit *Dn. Carpzov. Disp. feud. 6. th. 31.* Nisi consuetudo illius loci, in quo bona feudalia sita sunt, contrarium introduxerit *Rosenthal. d. feud. c. 8. concl. 16. n. 5.* Quis autem antiquior
Do.

Dominus sit, docet *Schrad. c. 5. P. 1. 7.* Paucis tamen dicendum, quòd magis ex natura feudi, quàm Vasalli persona sit metiendus *Giph. disp. 7. th. 8.* Coeterum altioris indaginis adhuc est, si Vasallus duos habet dominos, unum mediatum, alterum immediatum; qui inter se bellum habent, cui opem ferre debeat? Quidam distinguunt inter guerram justam & injustam, ita ut si Dominus mediatum faciat guerram justam, tunc Vasallus illum juvare debeat, sin injustam, teneatur proximum atque immediatum Dominum adjuvare. Alii ita distinguunt: Aut hi ipsi Domini inter se habent guerram; aut non, sed cum extraneo vel tertio. Posteriori hoc casu Vasallus debet adjuvare Dominum mediatum. Priori verò casu neutrum adjuvare tenetur. Verùm neglectis his opinionibus dicimus, Vasallum teneri adjuvare potius Dominum proximum & immediatum 1. propter *c. 1. 2. F. 28.* Deinde quia ipse Dominus immediatus est proprius Dominus Vasalli, non autem mediatum. 3. Quia sicut Dominus ipse immediatus Vasalli non tenetur adjuvare suum Dominum in bello contra se ipsum, ut supra ostensum, ita nec pati necesse habet, ut suus Vasallus contra se Dominum mediatum adjuvet. Hanc tamen sententiam nostram limitamus: Nisi ipse Dominus mediatum esset universalis patriæ Dominus, & servitium quod exposcit, concerneret communem & publicam utilitatem totius patriæ; tunc enim Vasallus deberet potius adjuvare Dominum mediatum contra suum Dominum proximum & immediatum.

§. 44. Denique excipitur omnis supremus Magistratus sub cujus tutamine & jurisdictione Vasallus degit *Rosenth. d. l. n. 5.* in omni enim juramento supremi Magistratus autoritas excepta censetur *c. venientes. 19.*

ext. de jurejur. 2. F. 55. §. in fin. Cùm subditi Magistratui resistere nequeant, sed potius injuriam illatam debeant tolerare, teste *Grotio de J. B. & P. lib. 1. c. 4. n. 2. & seqq.* Quamvis sint casus, quibus contra superiorem subditis, præsertim illis, qui non simpliciter subjecti, sed aliquam potestatis partem obtinent, bellare licet: Et istis casibus Vasallus rectè adjuvabit Dominum contra Magistratum *Grotius d. l. n. 8. & Magnif. D. Struve in Synt. Jur. feud. c. 11. aph. 8.* Hæc quidem exceptio licet in juramento nominatim expressa non inveniatur, ei tamen tacitè inesse semper subintelligitur *PræNobiliss. Dn. Præses in com. ad d. t. 5. F. 1. lit. a.*

§. 45. Servitia & personas, quatenus hæ ad ea præstanda astringantur, perlustravimus. In disquisitionem nunc veniat: Num Domini an Vasalli sumptibus servitia ista Vasallitica promovenda sint? Et quidem primùm omnium hæc in re advertendum putamus: an in investitura sive feudi concessione de sumptibus faciendis in specie conventio facta sit *Vult. l. 1. c. 10. n. 34.* Investituræ enim tenor atq; pacta præprimis inspicienda sunt *1. F. 8. §. fin. 1. F. 14. §. fin. & 15. 2. F. 12. & 18.* Et si ita convenit, cujus sumptibus Vasallus guerram, i. e. bellum facienti Domino opitulari vel alia servitia præstare debeat, huic merito standum erit *arg. l. 48. ff. de pactis.* Conventione deficiente, ex moribus & consuetudine locorum judicandum erit *Zaf. P. 7. n. 69.* Consuetudine verò locali vicissim cessante, arripimus communem Dd. sententiam asseverando: Vasallum propriis sumptibus servire oportere. *Magnif. D. Struve cap. 11. aph. 9. add. Joh. Köppen. in suis decision. Jurid. qu. 39. n. 34.* Interim tamen qualitas feudi cumprimis erit respicienda, & distinguendum inter feudum pingue & tenue: Si enim exiguum

guum & ad sumptus pro servitiis faciendos non sufficiens, ipsa tunc æquitas suadere videtur, ut sumptibus & expensis Domini Vasallus auxilia & servitia præstet *Zob. P. 3. diff. 24. n. 7.* Sin adeò lautum & opulentum, ut proventus feudi istiusmodi sumptus ferant, assistendum erit huic sententiæ, quòd Vasallus suis propriis sumptibus servire teneatur. *Rosenth. c. 8. concl. 24. n. 4.* Nihil insuper iniquitatis hîc quoque subesse videtur, si is, qui tantò ornatus beneficiò, ad servitia tanquam in accepti beneficii recompensationem propriis sumptibus præstanda astringatur. *l. 18. ff. de oper. libert.*

§. 46. Quod tamen locum obtinet eò casu, ubi intrà patriam & territorium, in quo vasallus degit, Dominus in rebus bellicis occupatus est, tunc receptius esse videmus, ut Vasalli expensis servitia expediantur; sin verò extrà territorium bello implicitus est, cogitur quidem Vasallus eum in locum, quamvis à patria admodum remotum, exercitum ducturum militando & serviendo sequi *Rosenth. c. 8. concl. 25. n. 1.* quia vi juramenti fidelitatis ad suppetias vel quocumque in loco Domino ferendas obligatur *arg. t. 26. §. licet. vasallus F. 2. Pra-Nobilis. atque Ctissimus Dn. Praeses studiorum meorum Promotor plurimum estimatus, sanctèque semper colendus in com. ad tit. 5. F. 1. lit. a.* Eò tamen casu Vasallus, etiam amplum feudum habens indistinctè Domini expensis militat *arg. l. 20. in fin. & l. 21. ff. de oper. libert.* Facit huc textus *in tit. 107. F. 2.* ubi hoc non tantum ipsis rerum experimentis cognitum, sed & antiquatum, id est, antiquitus receptum, seu antiquo more introductum esse dicitur. Nec officit, quod hic titulus sit extraordinarius. Nam & extraordinarii tituli admittendi sunt, si aliis ordinariis non repugnant, aut juris feuda-

lis rationem non evertunt. *add. Sensbec. p. 11. num. 44. Kohl. in tr. de Servit. p. 6. n. 7.* Nisi iterum vel pactō investituræ tempore de sumptibus initō, vel consuetudine illius loci, in quo feuda sita sunt, aliud quid introductum *Schrad. p. 6. c. 6. n. 15.* Hinc Jure Saxonum dispositum reperimus: Dominos feudi sive intra, sive extra territorii limites belligerantes Vasallis suis, de opulentis etiam feudis investitis, sumptus & impensas in servitia faciendas semper subministrare cogi, prout testatur *Schneidevv. in Epit. feud. P. 5. n. 111.* de consuetudine in istis terris observari, **Daß der Herr seinen Lehns Leuten / wann sie bey Ihm ankommen sind und mit Ihm ziehen / Futter / Mahl und Huffschlag gebe. Vel: Daß der Lehmann auff des Lehnherrn Futter und Mahl / oder zimliche und gewöhnliche Besöldung dienet** *Zobel. P. 3. diff. 24. n. 7.* Proinde statutum seu consuetudo localis semper prius erit pensiculanda, quam recursus corripatur ad dispositionem juris *Andr. Kohl. d. l. n. 2.*

§. 47. Superest adhuc inquirere: quando nimir. Vasallus servitia exhibere teneatur? Et respondendum, quòd ea non, nisi à Domino evocatus & interpellatus fuerit, præstare cogatur *c. licet, si de feud. defunct. conten. c. 1. §. ult. an ille qui interfec. frat. Dom. 2. F. 37.* Ubi Feudista in hæc verba scribit: *Non cogitur Vasallus omnino, secundum usum Mediolanensium, Dominum adire, & servitium ei offerre: sed cum nunciatum ei fuerit, tunc Domino, si potest, serviat.* Vid. insuper *Rosenth. c. 8. concl. 26. n. 1.* Et quamvis Vasallus sciret Dominum servitiis indigere, nihilominus tamen interpellationem sive denunciationem, quâ ad officia Vasallitica evocaretur, necessariam esse existimat *Schrad. P. 6. c. 6. n. 38.* Quod qui-

quidem 1. fallit, si Vasallus non ignoraret, Dominum fortassè carceri inclusum detineri, aut obsessum vel in aliud periculum præcipitatum esse, ita, ut denunciatio difficiliori negotio fieri possit, eò tunc casu devinctus est vasallus etiam non admonitus sub feudi amissionis periculo succurrere, manus auxiliatrices præbere & grandis jacturæ damnum, cum possit, avertere 2. F. 24. 39. & 26. §. licet: Ubi expressè dicitur: quòd, si Vasallus magnum periculum amissionis scilicet vitæ aut læsionis alicujus membri Domino in persona imminere resciverit, etiam non requisitus accurrere, & futurum malum propulsare teneatur. Videtur insimul etiam hoc requirere peculiari illa sanctissimaque necessitudo, quæ ipsi cum Domino feudi intercedit, imò ipsum jusjurandum, quod ei præstitit, ut semper Domino in magno periculo constituto ultrò succurrat. 2. fallit, si feudum eà conditione concessum sit, ut servitia statò & certò tempore subministrantur; ut, si fortè Domina diebus festivis in templum deducenda, vel citharâ cantandum sit, tunc enim tempus hoc præfixum regulariter pro homine interpellat l. 12. & ibi Dd. C. de contr. & com. stip.

§. 48. Denique hîc advertendum: quòd hæc denunciatio sive requisitio tanquam necessaria consideranda sit, quoad servitia personalia seu officialia; quia hæc incerta sunt, nec possunt certam & limitatam dispositionem habere, sed secundum quod tempora & negotia occurrunt; nec enim in tenore investituræ expressum est, quò tempore Vasallus serviendo præstò esse debeat; ideò non, nisi à Domino interpellatus servire tenetur. Quoad obsequialia autem, quæ in reverentiæ, fidei atque taciturnitatis exhibitione consistere digno-

dignoscuntur, requisitio ista nullô modô attenditur; illa enim ex obligatione ad *avndogq* promanant & perpetua sunt; proinde Vasallus ad ea ex ipsa feudi natura quovis tempore obligatus censetur 2. F. 6. 7. & arg. l. 25. §. 11. ff. de her. pet. de qua vid. txx. 2. F. 22. vers. curia & 2. F. 23. vers. quomodo enim.

§. 49. Sed quæritur: quomodo denunciatio aliàs sit instituenda? Videndum est ante omnia, quænam vigeat in ista curia ac Provincia, in qua Vasallus & Dominus habitat, consuetudo, secundum quam ea dirigatur: Deinde, hac in re speciali regionis more deficiente, ipsa fieri potest immediatè tam per ipsum feudi Dominum, quàm per procuratorem aliumvè generalem bonorum ipsius administratorem ex mandato à Domino ad hoc dato arg. l. procurator cui 58. ff. de procurat. Kohl. in tr. de Servit. p. 7. n. 8. Vel denique per literas durch *sonderbare Aufgebotsbrieffe* Georg. Schultze in Syn. F. c. 10. n. 34. conf. Schneidew. in Epit. feud. p. 5. n. 99. ubi tamen non necesse videtur esse, ut eæ semper à Paribus Curiaë subscribantur, vel eorum solenni testimoniô comprobentur; sed sufficit saltem, easdem Domini sigillô roboratas esse; uti nec ad ipsam interpellationem Parium præsentiam requirendam esse comprobatur Rosenthal. c. 8. concl. 26. n. 4. à cuius tamen sententia abludit Schrad. p. 6. c. 6. n. 40.

§. 50. Illud hîc prætereundum non est, quòd, ita subsecutâ denunciatione, Vasallus non subinde ad Domini exercitum se recipere compellatur; sed ei potius tempus quoddam præambulum, intra quod ejusmodi instructionem adornare, seque ad iter corripendum & servitia obeunda necessariis instrumentis accingere possit c. 1. §. firmiter: spatio competenti 2. Feud. 55. & *ibid.*

Indulgetur

ibid. Baldus n. 1. Alvar. n. 1. vers. quod tamen intelligat.
Quod eò usque procedere putat Rosenthal. c. 8. concl. 26.
in not. lit. d. ut, nisi trina (per intervalla arbitraria) præ-
cesserit denunciatio, in mora Vasallus non constitua-
tur. Verùm unicam saltem interpellationem necessa-
riam esse rectius statuitur cum *Magnif. Dn. Struv. d. cap.*
11. aph. 9. Tempus autem istud præambulum ad præpa-
randam instructionem militarem sufficiens requiritur;
Quam quidem ita adornari convenit, prout ad modum
in feudi concessione huic rei per pactum præscriptum
Vasallus obligatus est: Vel si nullus modus in investi-
tura adjectus; secundùm id, quod in ista regione, in qua
Dominus & Vasallus habitant consuetum est: Vel qua-
tenus personarum qualitas, feudorumque quantitas &
conditio suadeant & admittant *Rosenthal. c. 8. concl. 22.*
Unde sæpiùs evenire animadvertimus, ut, quando feu-
da præsertim divisa, nimis modica & exigua sunt, quo-
rum proventus sumptus ad præparationem militarem
necessariò impendendos ferre minùs possunt, duo plu-
resvè feudis istis accolentes quoad servitii præstatio-
nem conjungantur, qui sumptibus communibus ne-
cessariam instructionem præparent & per unum equum,
armatumque hominem servitium expediant.

§. 51. Sumptibus itaque propriis instructionem
isthanc ab ipsis Vasallis procurandam esse, omninò te-
nendum est; cum nihil iniquitatis exindè appareat, si
is, qui aliàs propter mercedem, vel in recompensatio-
nem beneficii accepti ad operas exhibendas astringa-
tur, easdem instrumentis propriis adjutantibus ederet
l. 18. & l. 20. ff. de oper. libert. Hinc etiam non tenetur
Dominus ad sumptus in restitutionem armorum in a-
cie amissorum, vel ad aliud damnum resarciendum

H

fug.

suggerendos v. g. si Vasallus in Domini servitio equum
perdidisset, tunc Dominus non teneretur ad amissi e-
qui restitutionem vel æstimationem; suadere enim
ipsa æquitas videtur, ut damnum istud Vasallo, dum
pro feudo servitia subministrat, obveniens ipse susti-
neat *Zobel. p. 3. differ. 24. n. 6.* Tum 1. quod fructibus
aliisque commoditatibus ex feudo promanantibus
Vasallus perfruatur: Tum 2. quod damnum fortunâ
novercante conflatum ei, qui aliàs ad opem ferendam
alteri ex debito tenetur, imputandum sit argumentô
ejus, quod operarii damnum ferramentorum & instru-
mentorum ipsi ferre debeant *l. 2. ff. ad L. Rhod. de
jact.* Et hanc opinionem pluribus defendunt ratio-
nibus *Borch. d. feud. cap. 1. num. 27. Schneidevv. d. feud.
part. 5. n. 109. Ac Bald. in c. 1. in fin. an agn. vel fil.* scribit:
quando Vasallus vadit ad serviendum Domino & in
itinere deroboratur, quod tunc Dominus non tenea-
tur Vasallo ad emendationem damni, quia in hoc con-
tractu non venit casus fortuitus. Ubi tamen rursus a-
liud exigere videtur Jus Saxonicum dum Vasallum, qui
equum vel alia arma in acie amisit, non prius ad servi-
tia iterum obeunda, astringere vult, quàm ei accepti
damni æstimatio à Domino sit præstita per text. in
**Sächsischen Lehn-Recht c. 4. vers. Wenn der Mann
ein Pferd oder ichts anders seines Guts seinem Herrn
geliehen / oder ichts anders an seinem Dienst verlohe-
ren / das ihm noch nicht vergolten ist / dieweil ist er
nicht pflichtig zu dienen seinem Herrn / noch Lehns-
Recht zu pflegen** vid. *Georg. Schulz. in Syn. F. cap. 10. n.
44. vers. de jure tamen.* Excipitur tamen casus, ubi illa-
ti damni culpa ipsi Vasallo impingenda esset; tunc e-
nim in ipsum quoque Vasallum damnum suâ culpâ
accer-

accerditum meritò devolvendum erit *Rosenth. c. 8. concl.*
22. n. 3.

§. 52. Non abs re autem hâc quæritur: Si plures sint heredes Domini defuncti, an Vasallus omnibus servitiâ teneatur? Et respondemus, si servitium præstandum est dividuum & consistit in dando, præstabit Vasallus illud omnibus heredibus pro portionibus eorum: Ast si servitium est individuum, ut quia Vasallus tenetur ire ad prælium & hoc casu ipsi Domini inter se convenire, & unum eligere debent, cui soli Vasallus serviat. Et si de eo convenire non potuerunt, nulli eorum interim servire tenetur *per c. 1. §. præterea. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. ubi dicitur, Vasallum pro uno feudo non compelli plures Dominos habere; Facit huc argumentum, quod deduci potest ex l. ne plures 2. ff. d. exerc. act. l. si cuius 13. §. æquisimum. & l. quotiens 34. ff. de usufruct. add. Oltend. class. 5. act. tit. d. benef. Baro à Tautenb. in §. omnes filii cap. 1. Si de feud. defunct. VVesenb. d. feud. c. 8. n. 26. Sonsb. d. feud. part. 11. n. 29. Zasius in epitom. feud. part. 7. n. 12.*

§. 53. Denique ad Jus Senioris etiam pertinet I. quod ipsi Vasallus investituram primam ostendere atque titulum suæ possessionis dicere obstrictus sit. Licet enim aliàs nemo cogatur titulum suæ possessionis dicere *l. cogi 11. C. de petit. hered. ibique Bart. & Bald.* Tamen hoc fallit quoad Vasallum; Nam quoniam se gerit pro Vasallo, talemque se esse affirmat, necesse est, ut etiam suam personam legitimet, id quod fit, production literarum investituræ, prout pluribus hoc demonstrant *Matth. d. Afflict. si de feud. defunct. content. n. 35. Alvarott. in c. 1. d. investit. Socin. in tract. fallent. reg. 30. fallent. 3.* Secus ergò est, si neget possessor se esse

Præstare

Vasallum ; tunc enim ipse instrumentum investituræ exhibere, vel titulum possessionis suæ dicere non cogitur: Sic quoque fallit hoc quod diximus, si Vasallus possedit feudum ultra triginta annos; tunc enim ad justificandam possessionem suam feudi Domino instrumentum investituræ exhibere, vel titulum possessionis suæ dicere non cogitur. *Socin. d. l.* II. Quod si sit dubium, quam rem Vasallus à Domino nomine feudi possideat, vel qui sint fines hujus rei, quod Vasallus Domino feudi ostendere teneatur, & rem quam ipse feudi nomine ab eo possidet & fines hujus rei *Andr. d.*

Ifern. & Matth. d. Afflict. de prohib. feud. alien. per Frid.

Et sic ad metam pervenimus usque petitam,
Gratia sit summo, qui regit astra, DEO.
Ille suo porrò tutamine protegat omnes,
Quos studiis doctis invigilasse juvat,
Ille meos porrò conatûs adjuvet, atque
Successu faustô prosperet atque beet!



CORONIDES.

- I. Successio testamentaria in feudis non valet, etiamsi Principis autoritate & Senioris consensu corroboretur.
- II. Clericus in feudo succedere non potest, quamvis per substitutum servire velit.
- III. Num subinfeudatio vasallo sit permessa? A.
- IV. Si Vasallus Seniore[m] cucurbitaverit, an feudi privatione mulctetur? A.
- V. Si autem Vasallus cum Senioris uxore saltem concumbere intenderit, vel si turpiter cum ea luserit, an tunc feudo privetur? A.
- VI. An feudum novum possit concedi jure antiqui, ita ut feudum, quod

quod verè novum, reguletur secundum naturam feudi antiqui, Nach Art und Eigenschaft eines rechten Stamm- oder Urväterlichen Lehn-Guts? A.

- VII. An feudum Ecclesiasticum in foeminas sit transitorium secundum illud tritum, der Krumstab schleust niemand aus? N.
- VIII. An Rex Bohemæ sit Status Imperij? A.
- IX. An Majestas legibus omnimodò soluta sit? N.
- X. Leges fundamentales nostræ Reip. propriè dictas LL. esse, negamus cum Magnif. Dn. Strauchio, Præceptore quondam colendo *Diss. 4. contr. illustr. fam. §. 27.*
- XI. An Imperium nostrum rectè dici possit quarta Monarchia, prout in Propheta Daniele describitur? A.
- XII. An Imperium hodiernum rectè etiam Romanum vocari possit? A.
- XIII. An Nimrod primus fuerit Monarcha? A.
- XIV. An electio Imperatorum ad certam nationem sit restricta?
- XV. Quamvis hodiè electio Imperatorum ad unam familiam sit restricta, libera tamen omninò est.
- XVI. An Electores debeant esse nationis vel stirpis Germanicæ? A.
- XVII. An consultius sit Regem Tyrannum habere, quàm nullum, sive interregnum esse? A.
- XVIII. An Regis Galliæ Majestas proptereà diminuatur, quod iudicium Parlamenti Parisiensis agnoscere teneatur? N.
- XIX. An Hispanus barbaris populis in India Orientali justum bellum ante aliquot annos intulerit?
- XX. An in Rep. Turcica justè indicatur capitatio, Germ. Kopf-Steuer?
- XXI. An Saxonici Principes à Wittekindo orti sint?
- XXII. Utrùm Imperator de jure sit Dominus mundi, dicendus ex *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.?*
- XXIII. An foemina feudum dare possit? A.
- XXIV. Utrùm foemina de novo feudo investiri possit? A.
- XXV. Foeminæ autem in feudi successione regulariter locus non patet.
- XXVI. An Foemina per masculum semel exclusa semper maneat exclusa? N.

Quod constat singulis :

Industriò motu scandenda singulis cacumina,
Honos imperitat, nec non decus multo sudore
Virtutis famâ percelebri
parandum jugiter.

Hoc instar est Proverbii :

SEDES ARDUA MORATUR ANIMOS ALACRES!
Ipsemet propterea, NOSTER, litas omnes vitæ tuæ
alacri studio primitias,
quærisque industriâ laudabili
laudes cedrò dignas,
quæis fruëris alacritatis fructibus.

*Exiguis hisce lineolis, insignibus Præclari & Pra-
eximii Dn. Respondentis, Amici & Fautoris
mei certissimi conatibus atque laudabili speci-
mini FELICITER adclamat*

M. Marcus Timæus.

DE SENIORE docet NOSTER, quò jure FIDELEM
Obstrictum teneat, LANGIUS, ore, manu.
Hoc ipsò Patriæ SENIORIBUS IPSE FIDELEM
SE civem ostendit: gratulor ore, manu.

*Paucula hæc Clariss. Dn. Respondenti, Fautori &
Amico suo per dilecto, in Amicitia intemerata
monumentum, gratulab. apponere voluit,
debuìt*

M. Johannes Fridericus Treiber/Osthusâ-Thur.

**JOHANNES GEORGIUS LANGIUS, JURIS-
PRUDENTIÆ CULTOR,**

καὶ ἀνάγκη.

EGREGIUS JUVENIS CUR PALLIDUS? GERIT: ANNÒ ISTA: HONOR:

Evolutio.

Viderat egregium crebrò impallescere doctis
Langiadem chartis turba Novensilium,

Et

Et mirata ejus cum sedulitate laborem
Cur quæso, quærit, pallidus hic Juvenis?
Hæc ubi Musarum Dux Phœbus inaudit, ecce!
Veridicò tales edit ab ore sonos:
Quid miri, quod palleat hic? certamina docta
Nostris in castris nocte dieque gerit.
Sapiùs hóc annò certantem Jena celebris
Mirata est, quod tam fortiter ista gerat:
Hinc aliquando illum, me Diribitore, brabéa
Promerita excipient ac honor egregius!
Adplaudunt Musæ! clamantque unò ore: faventes
Patroni foveant egregium Juvenem!

*Clarissimo Dn. Respondenti J. U. C. de egre-
giis conatibus ex animo gratulatur o-
mnigenam prosperitatem adprecatus*

M. Jacobus Crell / Altenburgensis
Misnicus.

Gluth/die in der Tiefe bleibt
Und in stiller Asche glüet
Bis sie Luft und Vortheil siehet
Der sie nach den Wolcken treibt/
Kan mit mehrern Fancken prangen/und ihr klares FlammenGold
Strahl viel schöner in der Höhe/wenn ihr Wind und Wetter hold!

Also wird dein heisser Fleiß
Auff der Sama Sternens-Wagen
Besser an das Licht sich tragen
Weil er nun die Schliche weiß:
Wie man kan zu Leuten werden/ wie man nach der Ehre läufft/
Wenn zumahl ein Lüffigen spieler welches in die Segel greiffst:

Zwar es ist kein Spielen nicht
Sich umbs Recht mit Worten schlagen/
Doch! dein Fleiß darff alles wagen;
Stehet wer dir widerspricht!

Wer

Wer die Freund-gesinnten Feinde/ triff den wolgemeinten Streitt/
Unterdessen trücket dein Nahme sich ins Buch der Ewigkeit.

Mit diesen geringschätzigen wolte seinen vielgeehrten Herrn
Vetter und sehrwerthen Freunde beglückwünschen

M. Petrus Härtel aus Altenburg.

Clarorum merito celebrantur nomina cantu,
Et virtute sua præmia digna ferunt.

Sic quoque te, LANGI, doctissime juris & æqui
Cultor, justitiæ condecorabit amor.

Gratulor ex animo studiis ut culmina tangant
Fortunæ, Laudis, Castaliique Polum.

Acclament Musæ faveant conatibus omnes!

Quin sua vota meis jungat & ipse DEUS!

Caldum hoc votum Clarissimo J. U. C. fautori

& amico suo honoratissimo gratulabundus

adjecit

C. à Bülovv, Megapol.

Sonnet.

Der hat vor allen Recht des Ruhmes Zinn erreicht/
Der seine Kunst-Begier zu stillen klüglich weiß/
Wann er die Themis küßt durch vollen Eifer Fleiß/
Und keinem Ungemach und keiner Mühe weicher:

Vor solchem siehet man wie Neidhart ganz erbleicher/
Wann Er vernehmen muß/ daß ein so grosser Preis
Wird jenem bengelegt für seinen steten Schweis.


Herr Lange solches Lob hat/wo die Tzze schleicher/
Der Francken MusenSchaar zu Coburg Jhn erkant/
Wie er den grossen Fleiß/ den Sinnen den Verstand

Schon damahls blicken ließ: Ich wünsche Gottes Seegen/
Er fahr unläßig fort/Er hat gewiß zu Lohn
Der Tugend süßes Lob/ Astreen höchste Erohn/
Es wil der Himmel Jhm die Heiffers Hand zulegen.


Seinem werthen Freunde und Gönner setzet dieses

Johann Ernst Bestner von Bückeburg

aus Schaumburg.







ULB Halle 3
002 725 983



SR

VD 77







US FEUDALIS

De

IORE,

Quem

PIRANTE NUMINE,

oritate Magnifici JCtorum Sc-

illustri SALANA,

RÆSIDE

VIRO

imo, Consultissimo atq; Excel-
lentissimo,

TO FRIDERICO

in Wifkerstadt / JCto & Ante-
migeratissimo, Consiliario Saxoni-
ncialis, Scabinatus & Facultatis Ju-
fore eminentissimo,

motore jugi honoris & obser-
a demissè maclando

entilandum proponit

GEORGIUS Lange/

rgô - Misnicus,

LUTOR.

Ctorum Brabevterio

d. Jul.

NIS VVERTHERI,

M DC LXV.